







GREGOR. HORSTII D.
Philos. & Med.

Σκέψις

DE NATVRALI CONSERVATIONE & cruentatione cadaverum,

ubi

EX CASV QVODAM ADMIrando & singulari duo problemata, quæ sequens pagina monstrat, deducuntur.

Accessit brevis responsio ad eundem casum à Facultate Medicâ Viennensis Academiæ conscripta.

Editio nova marginalibus illustrata & additâ exercitatione de somno & somnijs aucta.



VVITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
Sumptibus Clement. Bergeri.
Anno M. DC. VIII.

Problema I.

An corpus humanum poſt mortem aliquot ſeptimanis colore & habitu floridum, incorruptum, absque putredine incipiente, naturaliter, nullo artificio accedente, durare poſsit?

Problema II.

An fluxus ſanguinis cadaveris humani occiſi tam in principio cædis, quam poſt aliquot ſeptimanas præſentiam interfectoris indicet?



NOBILISSIMO, VIRTVTE ET ERVDItione præstantissimo Viro, Dn. DANIELI Camerer in Auhoff &c. Archiducatus Austriæ inferioris,

NEC NON

EXCELLENTISSIMO,

CLARISSIMOQ; VIRO, Dn. ANDREÆ DORERO, *Philos. Medico Doctori eximio, & Serenissimi Electoris Saxoniæ Archiatro vigilantissimo,*

Dominis & Promotoribus meis honorandis,
S. P. D.

NOTATV DIGNVM est illud Plutarchi, Hegetoris Thessali cujusdam filiam, siderum in pleni-

luniis peritam ac temporis, quo luna objectu terræ umbrâ obscuraretur gnaram, per harum apparentiarum prædictionem, indoctis & incredulis lunam cœlo subducere visam fuisse. Tanta enim est ignorantiæ vis, ut non solùm cognitionem sibi oppositam tollat, sed etiam falsa, posthabitis fundamentis veritatis, sibi fingat. Hinc Galli Sulpitij Exercitus cum Macedonibus conflicturus, instante solari defectu, non solùm solis obscurationem tanquam ignotum quid aspexisset, sed simul quoque, veluti malo omine perculsus, turpiter fugam arripuisset, nisi primùm ab ipso belli Duce de causis hujus rei naturalibus fuisset admonitus.

tus. Hæc etiamnum hodie fiunt, ita ut imperitum vulgus naturalia rara non solùm nesciat, sed insuper etiam statim prodigiorũ ac miraculorum loco habeat & agnoscat. Exemplo nobis sit casus propositus, de quo variorum varia fuerunt judicia, propterea quòd quædam φαινόμενα rara & communiter plebeis admiranda sese ostendissent. Hinc non solùm causam veram ignorârunt plurimi, sed simul quoq; falsam substituerunt, omen aliquod fingendo in ijs, quæ ex naturalibus causis accidere possunt. Hoc est, quod me movit, ut rogatus ab ijs, quibus repugnare videbatur incivile, quæstioni propositæ responderem, & ex fundamentis

Medicis & Philosophicis rei veritatem deducerem. Hunc autem discursum anno præcedenti in Austria breviter conscriptũ, jam amicorum admonitione ac interventu elaboratum & pluribus confirmatum prælo subijcere, & vobis, Viri Magni, inscribere volui. Quamvis autem ignorare non poßim, nec velim, quid partim vestra in me collata benevolentiæ & liberalitatis officia, partim gratitudo mea debita requirant: nihilominus tamen præsens hoc chartaceũ munus tantum non est, ut cum ijs comparari queat. Illud in præsentiâ mihi sufficit, ut & rei ipsius testem ocularem, & dissertationis hujus judicem dexterrimum

rimum habeam. Ergo tui, Vir nobilißime, jure & meritò mentionem facio, ne quis ea, quæ vera (ah nimium vera, ô utinam falsa!) pro fictis agnoscat: tu enim non sine dolore & animi ægritudine præsentis casus ex homicidio resultantis spectator fuisti tristißimus. Cætera lubens prætereo. Cui verò magis, Excellentißime Dorere, quam tibi præsentem dissertationem judicandam subijcerem, utpote qui toto vitæ tempore rebus Philosophicis & Medicis incubuisti, atque illorum laborum præmia non pœnitenda suscepisti, dum per scientiam tuam Principibus & Magnatibus magnus & admirandus es, quod veris Me-

dicis in ſacris promittitur? At verò de artibus artifex judicat: illorum enim veri judices eſſe dicimur, quæ ſcimus & intelligimus. Quid enim cœcus de coloribus? Quod ſi uterque veſtrûm, Promotores mei magni, hoc quale quale debitæ obſervantiæ τεκμήριον *ſerenâ fronte, quod dicitur, acceperit, hujus inſcriptionis finem me conſecutum fuiſſe ſtatuam. Hiſce* ἐπὶ μήκιστον *vivite, quod ut fiat ex voto, benè valete. Dabam VVitebergæ Calend. Auguſt. Anno Salutis noſtræ M. DC. VI.*

V. Nobil.
atq; Excel.

Studioſiſs.
Gregor. Horſtius D.

In σκέψιν Physicam Medicam de casu singulari

V. CL.

GREGOR. HORSTII, D. Philosophi & Medici,

Epigramma.

MIretur, cuicunque lubet, miracula mundi,
Hesperidumque hortos, Pyramidumque strues.
In nuce conclusam magni miretur Homeri
Iliaden libris Græcia clara suis.
Delphica mirentur celebres oracula Athenæ,
Est aliud sanè, quod mage miror, opus.
Scilicet humanos denati corporis artus
Servari plures, arte tacente, dies.

Vt non mutetur formæ cum munere totum;
Non quoque nativi molle caloris opus.
Sit procul hinc livor, nigri procul inde madores,
Absit putredo, fœtidus absit odor.
Sed priscus remanere color videatur, & idem
Flos habitus, vigeant mobilitate pedes.
Omnia compositū referant facies'que, manus'que
Omnia viventi conspicienda modo.
Mens licet absuerit, tenuemque petiverit auram
Vnica quæ rectrix corporis esse potest.

Rarum

Rarum hoc auditu, & cunctis mirabile visu,
Per causam expediens non quoq; mirus erit?
Horstius hoc pulcro Tractatu præstitit unus,
Horstius ingenio magnus & arte potens.
Perlege, si dubitas, usurus acumine mentis,
Artificiq; fides quæ sit habenda scies.
Perlege: perlectis addet: *hic floreat Autor,*
Florida Doctorum Numina donec erunt.

Gratitudinis & observantiæ ergò scrib.

M. Donatus Freyvvaldus
Misnensis, Med.
Studiosus.

ALIVD

ALIVD.

QVAMVIS multa tenax profundiori
NATVRA usq; adyto reposta centum
Servet clavibus, & peculiari
Lege nota sibi velit vel uni:
Mens humana tamen sagaciori
Et nisu, & studio frequentiori
Scrutari penitissimè laborat.
Id quod Ingenio secundiori
Clarus, & Genio benigniori
HORSTIVS, Medicæ Decusq; Honosq;
Artis, ipse suo satis probavit
Et nisu, & studio, laboribusq;.
Abditas etenim, nimisque cæcas
Naturæ latebras celebriori
Sensus judicio, & potentiori
Mentis egregiæ sagacitate
Sub lucem trahit omnibus videndas.
Quippe quî fieri vel illud unum
Possit, ut vigeatq;, floreatq;
Multis hebdomadis truci peremti
Morte corpus, & in suo vigore

Natura-

Naturaliter, & nihil colore
Mutato, aut habitu bono, superſit.
O rem indagineq́;, & labore dignam!
O rem cognitione digniorem!
O digniſsimam honore laudis omni!
Hanc gratâ capias manu, nec unquam
Precari dubites amice Lector:
Vivat HORSTIVS, & ſuâ fruatur
Laude; vivat, & in perennitatem
Omnem perpetuâ beatitate
Floreat, vigeatq́;, vivat, omnes
Spernens Invidiæ potenter auſus.

Obſervantiſſ. præceptori in ſempiternam amicitiæ & beneficiorum gratiam poſuit

M. VVolffgangus Schallerus
Freibergenſis, Med. Stud.

LECTORI.

NE, Lector amice, fruſtra paginæ aliquot tibi venderentur, placuit quæſtionem de miraculoſis inedijs ex diætetico polyhiſtorico Quercet. ſubijcere, propterea quod à præſenti caſu talis materia non videatur aliena, utpote cum illius etiam in ipſo tractatu facta ſit mentio: tu boni conſule & diutiſsime vale.

Quercetan. in Diær. Polyhiſt.
Sect. 2 cap. 4.

Quæritur

QVæritur an perstare quis diu poßit & vivere ci[-]tra alimenti, aut potus cibiq; aßumptionem? Cu[-]jus solutionem rationesq; aliò reijcimus. Afferam hu[c] tantum, quæ mihi Conflani vidiße contigit ante anno[s] sex, & quæ de re nova & parum usitata breviter dic[i] poßunt, explicabo. Hic enim suscepto in illos tractu[s] itinere vidi puellam tres aut quatuor annos natam, quæ jam sine cibo & potu per sesquiannũ perstiterat. Mirabantur omnes tam stupendum casum, multiq; si[-]bi persuadebant, aliter fieri non poße, quin alimento clam pasceretur. Vbi vero ego ventriculum, hypochon[-]dria, mesenterij & inferioris abdominis regionem at[-]trectavi, dimovi illos à sinistra opinione, apertè do[-]cens in illo abdomine usq; adeo depreßo & insta[r] marmorei lapidis indurato nihil colligi poße, cum ni[-]hil in illas partes traijci & influere queat. Subijt me quoq; non levis tam novæ ac stupendæ rei admiratio, qui vita perstare poßet in organis illis naturalibus o[-]mnibus facultatibus ac functionibus destitutis. Tandẽ meditatus istius rei causas, intuli coagulatas illas partes & prorsus exiccatas non minus subsistere ac à corruptione se tueri poße, quam infans ille, qui in utero materno in lapidem conversus, ibi per multos annos, citra sui matrisq; corruptionem perstitit, pro ut om[-]nibus hujus rei nota est historia. Quod autem puella illa vitâ frueretur citra alimenti aut cibi usum: ra[-]tio est: quod potißimæ corporis partes, in quibus vita potißimum suam sedem habet, cor videlicet, pectus & caput admodum vividæ & vitales perstarent: quæ cũ ut alia ignobiliora membra craßum alimentum non desiderent, quale ventriculus, hepar, & lien, ut in quo-


tidiana

ridiana ciborum concoctione animadvertitur: quibus ut vita conservetur, nec non cor, pectus seu pulmo & caput, necesse est ut in aëreā & Spirituale substantiā à ventriculo & hepate præparentur: alioqui si crassior esset ciborum substantia, ab illis spiritalibus partibus non reciperetur, quæ similibus non aliis oblectari solent. Cum, inquam, hæ partes sint spiritualiores & magis aëreæ spiritu etiam & aëre easdem foveri, certo certius inferre licet. Hinc fit, ut cor statim præfocetur, si ad momentum aëris ad cor meantis per pulmones aditus, intercipiatur. Hinc docent etiam Medici cerebrum odoribus foveri & partes pectoris & cordis aëreo spiritu recreari: quæ quidem partes cum vita fruuntur, eam non sibi tantum retinent, sed in totum corpus si pateant meatus, diffundunt. At cum in illa puella solæ illæ partes in tota capacitate abdominis sitæ extinctæ & demortuæ prorsus essent, & omnibus suis functionibus destitutæ, quæ necessariæ etiam non videntur ad cibi, cerebri pulmonum & cordis hoc est, ad aërei & spirituosi attractionem & concoctionem, nisi de cibo crassiore agatur, qui in spiritum & aërem præparari debet, mirum amplius esse non debuit, si præcipuæ illæ & nobilissimæ totius corporis partes vitâ fruantur, cum illis organis carere possint ad vitam tuendam. Verum quidem est, eas bonâ sui nutrimenti parte destitui, quæ ex cibo à ventriculo, hepate, liene præparato, ad ipsas transfertur: Satis tamen alimenti ab exteriore aëre & odoribus percipiunt, quo vivant ad aliquot annos. Restat adhuc & hic dissolvendus nodus: cur extinctis tam nobilibus partibus & toti corpori summè necessariis, quales sunt ventriculus,

hepar,

hepar lien, mesenterium, intestina reliquum corpus non corrumpetur. Ratio est, quia nullam aliis corruptionem inferunt: imò tantùm abest, ut corrumpant, ut contrà balsamo suo eas potius foveant, quatenus carnea essentia illarū partium sensim in salinam & lapidosam substantiam mutatur &c. Referebat illa puella melancholicum temperamentum, taciturna admodum, pendente semper capite, reliquis membris, ut brachiis & cruribus moveri nesciis. At ab eo tempore, quo mihi visa est, intellexi, illam crevisse, incedere etiam, & tandem naturalem edendi & bibendi appetitum recepisse. Hinc constat non prorsus in lapideā substantiam conversas fuisse illius puellæ partes, quod ex insigni duritie conjiciebam: sed tantum tartareis fæcibus, iisq; densis ac spissis circumquaq; involutas fuisse ad tempus, quæ vel natura vel arte solutæ sensim evanuerunt, & ex partibus exclusæ sunt, unde repurgata membra ad pristinas facultates & destinatas functiones redierunt. Hactenus ille. Subijcit præterea aliud exemplum, quod nobis quoque notum est, de virgine illa fortè adhuc in Helvetia per multos annos absq; cibo & potu vivente, de qua consule ipsum autorem & conjunge si placet Decad. nostram quintam problematum Medicorum, quæst. 7.





Σκέψις

Physica & Medica.

DE CASV QVODAM ADMIRANDO AC singulari, qui ita se habet.

CASUS.



NNO τȣ̃ λόγȣ M. DC.IV. die XXVI. Decembris, vir quidam nobilis juvenis, ætatis suæ XXV. anno, vespertino tempore, circa nonam horam noctis, è fenestra domus superiori, in oppido Blindmarck / inferioris Austriæ, bombarda petitur, & globo tormentario per sinistram pectoris immisso, perq; dextram hypochondriorum exeunte, protinus in loco occiditur. Reviso cadavere, vulnereque considerato, quantitas eadem introitus atque exitus non sine copia sanguinis profluentis, reperta est. Subsequenti die XXVII. Decembris, tempore matutino, corpus occisi juvenis vestibus alijs

Relatio Casus ex autographo Parentis germanico in latinum sermonem conversa.

Nobilis juvenis globo tormentario occiditur.

 orna-

Hæmorrhagia vulneris duravit permultos dies post mortem.

ornatur, atque ita per biduum quietum retinetur. Porro XXX. Decemb. in libitinam reponitur, & in loco sacro custoditur, idq́; sine motu ulteriori, ubi tamen nihilominus ex vulnere superiori usque ad VIII. Januar. Anni M.D. CV, recens quotidiè manavit sanguis, à quo tẽpore hæmorrhagia desiit. Rursus verò XIII. Februarii circa meridianum tempus sanguinis fluxus per vulnus inferius hora una atque altera deprehẽsus fuit, ac si iam vix cædes facta esset. Interim habitus totius corporis talis fuit, ut viventi facilimè responderet, color faciei usque ad sepulturam rubicundus & floridus, vena insigniori sanguine repleta iñ fronte apparente: signum putredinis incipientis per tot septimanas nullum apparuit, nullus fœtor aut ingratus odor, qui aliàs cadavera paucorum dierum consequitur, hic deprehendebatur: digiti manuum molles ac mobiles vel flexibiles absq́; omni ἀτροφίᾳ extiterunt, colore naturali non admodum mutato, nisi quod procedẽte tempore circa septimanam ultimam ante sepulturam in extremitatibus quodammodo livescere inceperint.

Post septimanas aliquot rediit sanguinis fluxus.

Alia accidentia insolita circa præsens cadaver occurrentia.

Hic est casus propositus, quo, juvenis occisi parente mœstissimo instante: doctis ansa dubitandi datur, ita ut iam quæramus, num hæc omnia naturalibus causis concurrentibus facta fuerint, præsertim cum nullum artificium, quod alias in condiendis magnatum cadaveribus fieri consuevit, in præsentia accesserit? vel an præsentia interfectoris in causa fuerit? *Quæstio principalis.*

Pro veritatis investigatione subsequentia problemata iudicio rationis subijcere conabimur, ubi eò potissimum allaborabimus, ut si non demonstrativa & apodictica, saltem probabilia & verisimilia dicamus: verum enim est in his quæstionibus, quod Scaliger habet Exer. 307. sect. *29.* Sapientiæ partem esse, quædam æquo animo ignorare velle. Etenim multa quoque alia sunt in hoc nostro orbe sublunari, quorum non est hominis rationem veram reddere, ut dicit Avenzoar lib. 1. tract. 5. cap. 15.

PROBLEMA PRIVS.

An corpus humanum post mortem aliquot septimanis colore & habitu floridum, incorruptum, absque putredine incipiente naturaliter, nullo artificio accedente, durare posſit?

Vt noctua circa meridianum lumen ita intellectus noster sese habet circa ea, quæ sensibus à nobis ob difficultatem suam deprehendi nequeunt, quod rectè nostri Philosophorum princeps Aristoteles *lib. 2. Metaph.* *Intellectus imbecillitas.*

Metaph. cap. 1. innuit his verbis; ὥσπερ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων, *hoc est*: Quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima sunt secundum naturam: *Scilicet ad ea quæ sensu notis opponuntur, ut patet ex* Philosopho lib. 1. Physicorum, lib. 1. Posterior. Analyt. lib. 6. Topicor. & alibi. *Neq; hoc sine ratione cum Peripateticorum Principe affirmamus, præsertim cum anima nostra circa primã rerum cognitionem instar rasæ tabulæ sese habeat, quatenus ad res cognoscendas potentiam obtinet, ita ut primò nihil intelligat actu,* δυνάμει *tamen omnia intelligere possit, quod à Peripateticis rectissimè contra Platonicos demonstratur, ut videre licet lib. 3. de an. cap. 5. & ibidem apud Interpretes. Quia verò* οὐδέποτε νοεῖ ἄνευ φαντάσματος ἡ ψυχὴ nunquã anima intelligit absque Phantasia & operatione sensuum, ut idem Aristoteles *cit. libro tex. 30. demonstrat, hinc sequitur, quod ea, quæ sensibus non comprehenduntur, intellectui nostro primo difficillima videri possint. Veruntamen cum omnis potentia & aptitudo per suum actum perficiatur, & hãc ob causam ad eum naturaliter inclinet; ideo rectè lib. 1. Metaph. in principio affirmatum fuit, quod omnes homines ad rerum difficilium & ignotarum scientiam sponte ferantur, ubi ait Philosophus*: πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει: Omnes homines natura scire desiderant. *Imò Tullius*

Vnde sit difficultas intellectionis?

Cur omnes scire desiderent?

Eloquentiæ parens lib: 5. defin. & lib. 2. Tusc. qu. *pronunciat amorem cognitionis & scientiarum à natura nobis hominibus ingeneratum esse.* *Hinc etiam* Poeta *canit:*

Implendus sibi quisq; bonis est artibus, illæ
Sunt animæ fruges; hæc rerũ maxima merces
Scire quid oculto naturæ terra coercet, &c.

Nec mirum, quod cognitionis appetitus nobis quasi innatus esse videatur, ita ut in Idiotis etiam hoc appareat, quorum prima quæstio est de rebus novis: id enim præstantiam hominis arguit, qua reliqua animantia omnia superat, quod scilicet non propterea à Deo Opt. Max. conditus sit, ut more brutorum comedendo & bibendo vitam transigat, verum ut insuper quoque potentiam cognoscendi τὸ γνωςικὸν videlicet excolat, & actiones suas iuxta præscriptum rationis instituat. *Cur natura hominis potissimum novitatis avida?*

Quid enim quæso magis animos nostros à rebus caducis abstrahit, eosdemq́; ad conditoris nostri considerationem dirigit, quam operum divinorum cognitio, quamobrem rectè regius Propheta canit: Quam magnifica sunt opera tua Domine: Vir stultus hoc non intelligit, & stupidus hæc non animadvertit. *Quid porrò iucundius? imò quid homini convenientius, quam creatorem per creaturam cognoscere, eiusq́; infinitam bonitatem ac potentiam ex ea celebrare? Vnde verè & eleganter* Claudianus *canit:* *Cur homo sit conditus?*

Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptosq́; mari fines, anniq́; meatus
Et lucis, noctisq́; vices: tunc omnia rebar
Consilio firmata DEI: qui lege moveri

Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno Jusserit igne
Compleri, solemq; suo: porrexerit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.

Inter alia verò, quæ homini cognoscenda proponuntur non ultimum est ipse homo, unde Delphicum illud γνῶθι σεαυτὸν *TE IPSVM NOSCE. Cum enim homo reliquarum creaturarum DOMINVS sit, ideo meritò & quo ad formam, & quo ad materiam alia omnia longè antecellit. Quo ad formam nullus negabit hominis formam omnium sublunarium præstantißimam esse: animam videlicet rationalem, quæ divinitatis quodammodo particeps esse videtur, quatenus intellectione sua supra res materiatas elevatur.*

Contemplationis humanæ maxima pars est γνῶθι σεαυτόν.

Igneus est etenim vigor & cœlestis origo
Omni homini.

Materiam hominis quot attinet, consentiētibus omnibus corpus humanum statuimus, quod à Deo Opt. Max. ita conformatum est, ut Ethnicus Medicus & Philosophus Galenus in opere de Vsu partium ex dissectione illius Dei conditoris nostri sapientiam, omnipotentiam & beneficentiam optima consequentia quodammodo deducat. Num igitur errabimus, quod dubitationes ex relatione singularis cuiusdā verißimi casus ad hominis naturam pertinentes per se quidem difficiles, examini Philosophico & Medico subijciamus, & iudicio rationis excutiamus? minimè: ut enim ex collisione lapidis & chalybis ignis elicitur, ita discursu dextrè Philosophantium veritas indagatur. Nec obstat imbecillitas nostri intellectus, quæ in eius generis quæstionibus sæpißimè dubitationes quasdam superstites relinquit: est n. quod Poeta dicit. ali-

An dubitationes difficiles examinandæ?

— aliquid prodire tenus si non licet ultra.

Adde illud, quod habet Aristoteles lib. 2. Metaph. cap. 1. Nimirum illis non solum gratias agendas esse, quorum opinionibus quis acquiescit, sed etiam illis, qui superficietenus dixerunt: conferunt enim aliquid etiam isti, qui habitum nostrum exercuerunt.

Quod ergo σὺν θεῷ fiat, ad ipsum problema nos convertimus, & pro negativa quæstionis parte ex aliorum opinione sic argumentamur.

Argumenta opposita, quibus negatur problema propositum.

Corpus humanum post mortem non diu absque putredine conservari posse naturaliter sequentibus probabile videtur. *Negativa problematis pars confirmatur.*

1. *Vbi non est anima, ibi corpus humanum absq; putredine naturaliter conservari nequit.*

Atqui in corpore mortuo non amplius est anima. *Arg. 1.*
Ergo corpus mortuum in statu suo ad tempus aliquod conservari nequit, sed statim ad putredinem vergit.

Maior probatur, quia anima est ἐντελέχεια τοῦ σώματος, καὶ ἡ ἀρχὴ τῶν ζώων, ipsa perfectio & actus animati corporis, atq; principium animantium, quam ob causam color & habitus eiusmodi corporis non aliunde, quam ab anima tanquam à principio provenit. *Anima quid.*

Minor propositio nulla probatione indiget, cum omnes in eo conveniant, quod mors animæ separatio- *Mors quid sit.*

nem à corpore sequatur, unde Platoni quoq; in Georg. rectè solutio animæ & corporis dicitur.

Arg. 2. II. Vbi non est forma ultima, ibi quoq; subordinata minime potest agere:

At in corpore humano mortuo non est ultima forma anima videlicet rationalis.

Ergo nec subordinatæ vires τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς aliquid in corporis conservatione agere queunt.

Maior patet, quia forma ultimata sustinet subordinatas, ita ut hæ sine illa subsistere nequeant: ut enim forma dat toti suam essentiam, ita quoq; subordinatæ formæ ad hanc tanquam ad primam referuntur.

Minor ab omnibus conceditur, quia cadaveri vel mortuo corpori nullus animam rationalem attribuit.

Arg. 3. III. Oppositorum opposita est ratio.

At vita est permansio vegetativæ animæ cum calore, ut habet Phil. lib. de respir. & alibi.

Ergo mors est separatio animæ eiusdem à calore & per consequens post mortem effecta vegetatricis facultatis adesse nequeunt.

Arg. 4. IV. Vbi est extinctio caloris, ibi non potest esse conservatio corporis à putredine:

At in morte humana adest extinctio caloris nativi, ut habet Galenus lib. 2. de temp.

Ergo corpus humanum post mortem statim ad putredinem tendit.

V. Vbi

V. *Vbi deest alimentum adæquatum, ibi corpus aliquod ritè conservari nequit:* *Arg. 5.*

At in mortuis cadaveribus alimentum ad partes amplius non fluit: Ergo.

Maior manifesta est, quia conservatio corporum animatorum fit per continuatam & perennem nutritionem, quam ob causam statim ad deterius vergunt ea corpora, quæ nutritionem habent depravatam, ut in ægrotantibus apparet.

Minor fortè conceditur ab omnibus, quia in mortuis nulla fit concoctio, ergo nec alimenti transmißio ad partes conservandas.

Plura pro negativa quæstionis parte adduci *possent, sed in præsentia dicta argumenta sufficiant: iam ad quæstionem affirmandam progredimur.*

Fundamenta pro affirmatione problematis.

Vt veritatem aliquot conclusionibus in præsenti problemate determinare poßimus, ideo primum fundamenta quædam præmittimus, quæ ad confirmationem subsequentinm nobis plurimum inservient. Cum autem decisiones præsentis dubij ex natura humana sint deducendæ, idcirco consequentia fundamenta melioris cognitionis gratia de materia & forma hominis præmittimus. *Veritatis fundamenta.*

I.

Forma hominis propria & ultimata est anima rationalis vel intelligens. *Fundamẽtum primũ.*

Non admodum hic laborabimus in refutandis

Platonicis, *ubi animam rationalem totum hominē esse dicunt*, ut patet ex Alcibiade Platon. & Plotino Enn. 1. lib. 1. cap. 6. *cum hominis natura non solum corpus, tanquam instrumentum, sed etiam tanquam alteram essentialem partem requirat, utpote cum anima non solum per corpus operetur, sed etiam cum corpore essentiam hominis constituat.*

Anima non est totus homo.

Anima non est aßistens forma.

Nec etiam hic cum Averroe & Averroistis *examen instituimus, qui rationalem animam non pro informante, sed solum pro aßistente formā agnoscere voluerunt, cum tamen hac ratione homo reliquis physicis corporibus ignobilior esset, propria scilicet informante forma destitutus.*

Anima non est unio.

Recentiores quoq; unionem animæ & corporis *pro forma introducentes non moramur, præsertim cum illa unio non forma, sed formæ in materia existentis quadam consequens conditio sit.*

Anima est forma hominis.

Dicimus autem cum clasſicis autoribus plurimis, qui post Aristotelem illud ipsum demonstrant, quod in homine non sit alia forma informās ultima, quam rationalis anima, ut apparet ex Thoma par. 1. quæst. 76. ar. 1. Tolet. lib. 2. de an. quæst. 2. Pererio lib. 6. Phyſ. cap. 12. Zabarella lib. de mente hum. cap. 6. Coll. Conimb. lib. 2. de an. cap. 1. quæst. 6. & alijs multis, *præsertim cum anima rationalis tātum homini det esse specificum, atq; proprium, eundemq; primo à reliquis rebus omnibus distinguat. Imò cum ab hac solum ἡ νόησις, ipsa videlicet intellectio, solius hominis operatio propria dependeat.*

Vide lib. 2. Nobil. Ex. de corp. & an.

II.

Vt anima rationalis est nobilissima forma, ita quoque nobilissimam requirit materiam, quam ob causam in corpore suo potentiam crescendi & sentiendi præsupponit. *Fundamẽtum secundum.*

Inter materiam & formam respectum quendam esse rectissimè Philosophi passim statuunt. Quare penitus inconveniens esset animæ rationali, corpus aliquod informe ac rude informare, quia necessarium est, ut materia ad formam suam recipiendam habeat aptitudinem: at verò hæc δύναμις *ad recipiendam ac retinendam animam rationalem non potest inesse corpori informi ac rudi, quia ad operationes animæ perficiendas hoc penitus ineptum esset. Hanc ob causam vitam & sensum in corpore suo præsupponit, unde sapiens naturæ conditor sentientem ac vegetantem* δύναμιν *una cum materia producere voluit, ut eò ad suam formam recipiendam magis esset accommodata.* *Cur hominis materia magis sit formata.*

III.

Non est de necessitate δυνάμεως θρεπτικῆς καὶ αἰσθητικῆς facultatis nutritivæ & sensitivæ, ut semper animam rationalem actu cooperantem habeant. *Fundamẽtum tertiũ*

Clara atq; manifesta est hæc assertio omnibus ijs, qui demonstrationem subsequentem concedunt & concessam intelligunt: hæc ita sese habet:

Quod non solum homini convenit, sed etiam alijs rebus, illud ab hominis propria forma non dependet: Atqui nutriri, sentire, aliaque hu- *Nutritio & sensus*

ius

non pendet immediatè à Rationali Anima.

ius generis non solum homini, sed etiam aliis viventibus conveniunt:

Ergo ab anima rationali primariò non dependent ideoq; per consequens absq; cooperante anima rationali perfici possunt.

Maior non indiget probatione, quia communia accidentia & affectiones communes dependent à communibus principiis: est enim contra naturam propriæ formæ dare, communem affectionem, quia alias illud, quod huic speciei proprium est, alteri quoq; conveniret, quod in Philosophia ἄτοπον rectißimè statuitur.

Quod bruta non intelligant vide quæst. 5. Ex. 9. lib. 2. de corp. & an.

De minore nullus dubitat: videmus enim quod homines dormientes, delirantes, apoplectici, mulieres hystericæ & alii ægrotantes nutriantur & vivant, ubi tamen intellectiva operatio rationis penitus est sopita. Imò augentur & nutriuntur plantæ, sentiunt quoque animalia bruta, quibus tamen animam rationalem tā secundum operationem, quam secundum essentiam cum dextrè Philosophantibus denegamus, contra Vallam, Vallesium, Plutarchum & alios.

Instantia.

Sed instas: *anima rationalis est ultima forma hominis, ergo ab eadem quoq; omnia, quæ sunt in homine deducuntur, ideoq; tam nutritio quam sensus in homine sine ratione non perficiuntur.*

Resolutio.

Respondeo, nullus negat, quod intellectiva anima, quatenus toti dat esse, simul quoq; omnia, quæ subsunt toti, sustineat: non tamen inde sequitur, quod etiam illius operatio propria, scilicet intellectio statim cum omnibus subordinatis actionibus concurrat, quia aliud est totum informare, aliud quoq; est has aut il-

las

las operationes actu secundo præstare, Cum igitur nutritio & sensus sint actiones organicæ, ideo sequitur easdem e principio quodam corporis communi dependere, quod non solum homini, sed etiam alijs insit, unde non mirum, quod hæ potentiæ etiam non cooperante intellectu agant.

IV.

Facultatis θρεπτικῆς vel nutritivæ est corpus animatum absq; putredine & consumptione in statu suo nativo conservare, & ab externis injurijs defendere. *Fundamẽtum quartum.*

Cum habitus bonus, color floridus & alia huius generis indicia non aliunde dependeant, quam à corporis nutritione, qua semper in locum illius, quod assumptum fuit, novum quid per assimilationem aptissimè reponitur: idcirco conservationẽ corporis animati, & defensionẽ eius ab externis iniurijs nulli alij facultati, quam nutritivæ possumus adscribere. Rationem hanc ipsa confirmat experientia quia videmus, quod hac facultate læsa statim color floridus labefactetur in hominibus, & in lividum ac pallidum mutetur; imò & carnosæ partes concidunt & flaccidæ redduntur, quod in phthisicis, febricitantibus, iecoris affectionibus præter naturam laborantibus, alijsq; ægris quotidie apparet.

V.

Perficitur autem operatio facultatis nutritivæ per calorem nativum, à quo tanquam à causa proxima eadem merito deducitur. *Fundamẽtum quintum.*

Caloris

Caloris est vivificare & conservare, quam ob causam actiones facultatis nutritivæ meritò calori adscribuntur, quicquid dicant alij, qui etiam frigus introducunt, quod tamen per se consideratum omnes animæ actiones deteriores reddit: Unde Avicenna lib. 1. fen. 1. doct. 6. cap. 3. frigus stupefactivum, *hoc est, vitam & sensum depravare dicit, quod etiam demonstratum legis apud* Galenum lib. 3. de caus. sympt. cap. 3. Vegam lib. ar. com. ad cap. 62. Zabarel. lib. 1. de misti gen. cap. 5. Vallesium lib. 5. controver. cap. 11. Coll. Connim. lib. de vita & mort. cap. 2.

Officium caloris nativi.

Hinc illa viventia, quæ calorem nativum præstantiorem obtinent, melius quoque perficiuntur & nutriuntur, atque secundum corporis habitum atque colorem floridum, qualis optimè temperatis convenire solet, diutius conservantur atque custodiuntur.

Unde fit vita diuturna.

VI.

Calor hic nativus post mortem animantium non penitus in momento perit, sed cum elementari calore conjunctus, sui quoddam vestigium relinquit partibus cadaveris, quas ad tempus in statu suo, non obstantibus externis iniurijs, custodire nititur.

Fundamẽtum sextũ.

Mors animalium propriè loquendo nõ est motus, sed solum mutatio, quam ob causam non in tempore, sed in momento solum fieri debet. Idque meritò: nam cum per mortem substantialis forma è sua materia, hoc est, anima è suo corpore pellatur, ideo necessarium est hac muta-

Cur mors animalium fiat in momento?

mutationem in momento fieri, quia alias forma essentialis secundum essentiam suam divideretur, & partim inesset, partim non inesset, eo modo, quo in aquæ calefactione calor partim introducitur, partim introductus est, quod absurdum videtur dextrè philosophantibus, quia nulla forma essentialis magis & minus recipit. Antecedens facili negotio probatur: cum enim omne tempus divisibile sit, ideo sequitur ratione temporis illius, in quo mors fieret, ipsam animã partim separatam esse, partim non separatam. Hac ratione non solum demonstratur, quod mors & interitus hominum propriè nunquam in tempore, sed semper in momento fieri debeat, sed simul quoq; patet omnem generationem & corruptionem essentialem ἐν τῷ νῦν perfici, quod Aristoteles lib. 5. Phys. tex. 8. & ibidem Interpretes ulterius declarãt.

Omnis corruptio ἐν τῷ νῦν.

Etsi vero mors in momento proprie loquendo fiat, ut ita protinus in instanti anima, præsertim rationalis, à corpore separetur: non tamen sequitur, quod etiam calor nativus in eo ipso momento statim penitus pereat, quia hic partibus inhæret, iisdemque ex primo seminis calore ingeneratus esse videtur, nec aliter, quã per alterationem corrumpi potest, Atqui nulla fit alteratio nisi in tempore, sive etiã sit ἐπὶ τὰς ἕξεις καὶ τὴν φύσιν, sive ἐπὶ τὰς στερητικὰς διαθέσεις μεταβολή, ut habet Aristoteles lib. 2. de an. tex. 58. scilicet sive tendat ad productionem, sive ad interitum, propterea quod qualitates: quæ alteratione fiunt & intereunt, magis & minus recipiant, unde ab ipsa natura subiectis suis nõ introducuntur absq; gradibus, nimirum in tempore. nec etiam alio modo ex iis pelluntur.

Cur calor nativus nõ pereat in momento?

tur, quia oppositorum eadem est ratio. Non igitur ἀδύνατον est, calorem nativum quodammodo post mortem in corpore animantis remanere posse.

INSTANTIA.

Instantia à definitione mortis.

Verum instabit forte quispiam: mors nihil aliud est, quam extinctio caloris nativi, *quod supra diximus ex Galeni sententia: Ergo non est possibile post mortem calorem nativum remanere posse.*

Diversitas caloris nativi.

Respondeo per distinctionem, quia calor nativus dupliciter consideratur: vel quatenus in corde tanquam vitæ principio residet, ex coq; omnibus reliquis partibus humani corporis vitæ sustentandi causa communicatur: vel quatenus à prima generatione cuilibet parti implantatus est, qui per illum influentem conservatur.

Hinc eleganter Langius lib. 1. epist. Medicin. 13. *inquit:* perinde ac solis lumine & tepore reliqua sidera cuncta illustrantur & calent: ita cordis calore, qui per arterias omnibus membris influit, membrorum reliquorum calor viget & conservatur. *Ille, videlicet influens calor, à corde per mortem animalis extinguitur: tunc enim animal moritur, quando principium vitæ, cor scilicet, in communicãdo vitali spiritu & calore deficit: hic verò, scilicet insitus calor, non statim penitus interit, sed sensim pabulo & conservatione destitutus ad interitum tendit.*

Resolutio instantiæ.

INSTANTIA ALIA.

Vlterius aliquis dubitabit: *Si calor nati-*

vus

vus post mortem ad tempus quoddam superesset, tunc etiam tactu sentiretur, ut in corpore vivo: Atqui corpora mortua statim sunt frigida: Ergo calor penitus in ijs est extinctus.

Respondeo, maior non est simpliciter vera: fit enim diversitas αἰσθήσεως respectu graduum, quibus calor variat, quod patet in plantis & vegetabilibus: quis enim negat plantis inesse calorem nativum? quomodo enim aliàs crescerent, augerentur, nutrientur? at nullus nostrum actualem quandam caliditatem in plantis tactu deprehendere potest. Adde quod calor ille, quem actu sentimus in partibus nostri corporis, non tam sit insitus & innatus calor, quam influens, qui partibus à corde transmittitur: videmus enim quod hyberno tempore sæpius partes quædam externæ propter vehementiam frigoris, actu frigidæ deprehendantur, non quod insito calore destituantur (quomodo enim alias viverent?) sed quod influens ob externas iniurias ad principium suum repellatur. An calor semper sentiatur:

His fundamenti loco præmissis ad Quæstionis decisionem pergendum erit.

INCLVSIONES.

Pro decisione problematis ex præcedentibus deductæ.

Conclusiones veritatis.

CONCLVSIO I.

Corpus humanum intemperatum, vel senile, & quod morre naturali, aut morbi violentia moritur, non diu absq; Conclusio negativa.

 putre-

putredine in habitu & colore suo conservatur, sed statim ad interitum tendit.

Cur intemperata citius intereant?

Dico primo corpus intemperatum, *hoc est, quod à bona humorum & qualitatum elementarium temperie plurimum dißidet: ea enim quæ à bona commoderatione & complexione plurimum abeunt, citius ad interitum tendunt, quam alia, quæ benè temperata sunt. Vt enim ex unione qualitatum paßivarum humidi & sicci à calore proportionato fit misti productio, ita etiam teste* Zabarella *lib. 2. de gen. mist. ca. 1. calore à naturali statu recedente sequitur humidi à sicco separatio, ipsiusq; mixti corporis destructio.*

Cur senile corpus difficulter cõservetur?

Dico Senile: *in senibus enim calor nativus imbecillis est, quam ob causam viventes adhuc persæpe mortuis potius, quam viventibus sunt similes. Huius imbecillitatis causa tremuli evadunt, ut habet* Galenus *lib. trem. iisq; omne virium robur denegatur, ut idem nobis scriptum reliquit lib. de curandi rat. per venæ sect.*

Mors naturalis quæ?

Dico morte naturali, *ea scilicet, qua humidum primigenium sive radicale à naturali calore pedetentim consumitur, donec tandem ipse quoq; calor propter defectum pabuli deficiat. Vide* Cælium Rhodig. *lib. 21. Antiq. lect. cap. 4. Hic non potest fieri, quin calore influenti à corde extincto statim quoq; caloris insiti totalis sequatur interitus, utpote qui antea satis debilis vix conservare potuit partes, quam ob causam videmus quod senes, sæpißime ab externis iniuriis calorem insitum vix defendere poßint. Hinc etiam Regio*

Propheta

Prophetæ Davidi iam ob senectutem refrigerato, puellam optimi habitus, boniq; temperamenti additam fuisse legimus in sacris, non prolis generandæ causa, quia testatur Scriptura, quod eandem non agnoverit, sed potius, ut huius beneficio calor ipsius insitus foveretur.

Cur seni Davidi virgo addi- tur?

Dico morbi violentia, illius scilicet, qui ex humorum putredine, & qualitatum intemperie, aliisque eiusdem generis præter naturam producitur: hic ante mortem succedentem vehemens omnium virium imbecillitas præcedit, quam ob causam calor nativus ita debilitatur vi morbi, ut post mortem, animæq; separationem, non sufficiens sit, ut partes ad tempus, licet breve, absq; prutredine conservare poßit.

Morbus præcedens impedit cadaveris cōservationē.

Dico non diu absque putredine &c. Etsi enim duæ sunt diversæ mutationes, ubi animal moritur, & ubi corpus animalis mortui putrescit, & in elementa resolvitur: plerunq; tamen in his casibus hæc posterior priorem paulò post subsequitur, propterea quod partes imperio caloris nativi destitutæ non amplius ab iniuriis externis sese defendere poßint.

CONCLVSIO II.

Non est impoßibile corpus humanum in humiditate & siccitate temperatum & juvenile, violenter occisum, per septimanas aliquot in habitu & colore, viventi respondente, conservari posse natur aliter.

Conclusio affirmativa.

Quo magis aliquid humiditate excedit & in-temperatum est, eò magis putredini obnoxium statui-tur, quod à Physicis ex professo in doctrinâ elemento-rum & mixtionis demonstrari solet. Vnde Aristotele-rectè pro subiecto putredinis agnoscit humidum, quate-nus in eo calor proprius per ambientem & externum calorem corrumpitur, ut patet lib. 4. Meteor. cap. 1. Hinc ergo dicimus corpus in humiditate & sic-citate temperatum, hoc est, ex constitutione san-guinea in cholericam vergens.

Causa pu-tredinis.

Addimus porrò juvenile, in quo scilicet calo-est fortißimus, quod ex omnibus operationibus vitali-bus apparet, quibus iuvenes tam senes decrepitos, i-quibus calor satis debilis & labefactatus est, quam pu-eros, quorum τὸ ἔμφυτον θερμὸν humore nimio ob-ruitur, multis parasangis superant.

Cur Iuve-nibus ca-lor fortis-simus.

Addimus violenter occisum, globo scilic-tormentario, vel alio huius generis malo: quia ha-violentam mortem defatigatio atque abbreviatio cal-ris non praecedit, quare non absurdum est eius modi co-pus, vi sui caloris innati, etiam absque calore influe-te per mortis violentiam extincto, ad tempus aliqu-sine putredine in bono habitu atque colore conserva-posse. Idque hoc modo concluditur.

Corpus vi-olenter oc-cisum ab-undat ad-huc innato calore.

Vbi calor nativus non statim evanescit, -ad tempus retinetur, ibi potest fieri par-um conservatio atque defensio à putredin-
Atqui in iuvenibus temperatis violenter o-cisis calor nativus insitus non statim in m-mento perire potest.
Ergo poßibile est tale corpus ad tempus qu-

da-

dam absq; putredine conservari posse naturaliter.

Patet hoc modo, qua ratione problematis pars affirmativa retineri poßit: Iam superest ut ad argumenta contraria in principio proposita respondeamus.

RESPONSIO.

Ad argumenta negantia in principio proposita.

Refutatur Affirmativa Quæstionis pars.

Ad I. *Respondeo ad maiorem, quæ non est simpliciter vera: quamvis enim anima sit* ἐντελέχεια *& perfectio* τοῦ σώματος*: non tamen inde sequitur, quod anima separata corpus ipsum nullo modo ad tempus absq; putredine conservari poßit, quod ex fundamento sexto patet, quia anima dat perfectionem corpori quatenus vivens est: at putredo propriè non est corruptio viventis, sed corporis mixti, quare post mortem fieri potest, ut calor superstes aliquandiu corpus à putredine defendat.*

Quomodo anima separata corpus à putredine defendatur.

Ad II. *Quamvis non sit de essentia vegetativæ facultatis, ut semper animam rationalem actu cooperantem habeat, quemadmodum ex fundamento tertio manifestum est: nihilominus hic respondemus ipsam conservationem corporis post mortem* κατ᾽ ἀναλογίαν *solum respondere illi, quæ vivente homine fit ab anima vegetativa, unde propriè non amplius ab anima, sed à calore in partibus relicto perficitur.*

Quomodo corpus sine anima conservetur.

Ad III. *Coincidit responsio ferè cum priori, quia propriè non amplius crescit aut augetur corpus mortuum: in suo tamen statu conservatur, quatenus calor insitus, in partibus corporis nondum penitus consumptus est.*

Ad IV. *Non statim omnino per mortem calor nativus extinguitur, sed hoc potißimum de illo, qui à corde influit, intelligendum est.*

Quomodo conseruetur corpus mortuum absq; vera nutritione.

Ad V. *Etsi non amplius talis alimenti affluxus adest, qualis in viventibus adfuit: tamen inde non sequitur, quod statim conservatio quoque tollatur: Cum enim iam à calore satis debili, respectu illius, qui in vivente erat, non admodum humidum exhauriatur, ideo sufficit etiam paucißimum alimentum, quod ex resolutione humorum in ipsis partibus præsto est. Nam quis negat, quod etiam pro conservatione viventis corporis interdum externum alimentum non requiratur, præsertim cum experientia testetur, plurima animantia sæpius ad tempus absq; cibo & potu vivere & conservari: unde apud Martialem unus ex gliribus de se canit:*

Tota mihi dormitur hyems & pinguior illo
Tempore sum quo me nil nisi somnus alit.

Homines absq; cibo & potu vixisse.

Imo non tantum de brutis, sed etiam de hominibus tale quid plurimi claßicorum autorum affirmant. Præ reliquis unicum exemplum Virginis 20. annorum sub ditione Bernatum in Helvetia viventis adhuc reticere non possumus, quæ iam per quinquennium completum absq; cibo & potu vixit, quod peculiari scripto retulit vir integerrimus Dn. Paulus Lentulus Reipub. Bernensis Medicus ordinarius, amicus noster, cum quo coram in peregrinatione nostra de omnibus huius puellæ circumstantiis egimus. Vide de eadem puella discursum doctißimum Ios. Quercetani in Diæt. Polyhistorico.

ACCOMMODATIO PROBLEMATIS AD PRÆsentem casum.

Declaratio casus propositi respectu partis posterioris.

Præmissa problematis declaratione ad casum præsentem nos convertimus, & affirmativè respondemus, quod scilicet corpus mortui illius viri iuvenis nobilissimi per tot septimanas naturaliter in tali statu florido, absq; putredine, conservatum fuerit: idque partim per internas, partim per externas causas deducimus.

Naturaliter hoc modo cadaver conservatũ fuisse probatur.

Ratione principiorum internorum, negari non potest, iuvenem hunc nobilem constitutione corporis fuisse temperata partim ex sanguinea in cholericam inclinante, quod non solum ex visa imagine ad vivum expressa sed etiam ex relatis animi moribus facile colligimus: fuit etiam in flore ætatis nimirum XXV anno, & quo ad cætera, integra sanitate præditus, quæ omnia fortissimum calorem nativum arguunt, cuius beneficio diutissimè conservari potuisset, nisi permittente Deo, violenta morte fuisset interemptus. Quo enim τὸ θερμὸν ἔμφυτον præstantius & copiosius, eò etiam vita longior & perfectior respectu naturalium principiorum: hinc experimur, quod illa, quæ calorem nativum consumunt, ut sunt vigilia, tristitia, coitus intempestivus & alia vitam quoque abbreviare solent, unde mulos equabus & asinis vivaciores esse pronuntiat Aristoteles. Hic innatus calor per violentum hoc mortis genus in

1. A temperamento corporis.

2. Ab ætate florente.

3. Ab integra sanitate.

4. Ab innato copioso vitali balsamo.

hoc iuvenili corpore penitus in momento aut paucis diebus perire non potuit. Quamvis enim bombardæ globo, proh dolor, per pectus iuvenile transverberato, vitæ principium, COR videlicet, in sua operatione læsum fuerit, ita ut postea vitam cum morte subitò commutarit: nihilominus negandum non est ipsum calorem nativum, qui partibus à natura ingeneratus est, ob sui præstantiam, robur & copiam hic in iuvenili hoc corpore diutius remansisse, non quidem perfectè, sed tamen eo modo, ut conservationi atque defensioni à putredine per id tempus sufficiens esse potuerit.

5. A morte violenta.

Hoc ulterius per violentum genus mortis demonstratur: videmus enim hoc alias etiam in occisorum cadaveribus, quod non ea celeritate vergant ad putredinem, quemadmodum corpora illorum, qui putridis febribus, alijsq; morbis calorem nativum debilitantibus moriuntur.

Cur citius vel tardius corpus aliquod mortuum putrescat?

Quod ergo citius vel tardius corpus mortuum putrescat, & habitum atq; colorem suum naturalem amittat, nulla alia est causa, quam calor nativus partibus insitus, qui ut nobiscum, præter alios multos, fatetur Valeriola lib. 2. observ. Med. quodammodo post mortem quoque remanere potest. Hic calor cum reliquijs spirituum vitalium causa fuit sanguinis effervescentis, quam ob rem facies iuvenilis huius corporis colore florido & rubicundo cum habitu suaviter intumescente, venis in fronte potissimum sanguine repletis apparuit.

Respectu externorumprincipiorum hic etiam

causa

causa sine qua non *fuit aëris constitutio illius temporis, in quo corpus hoc ad sepulturam conservabatur, quæ non admodum calida, nec admodum frigida, sed maxima ex parte temperata erat, unde nec vi caloris externi putredo partium accelerari potuit, quod alias æstivo tempore fieri consuevit; nec etiam vi frigoris caloris insiti reliquiæ constringi, congelari ac suffocari potuerunt. Non tamen negarem quin procedente tempore partium* ἀτροφία *ac signa putredinis sese ostendissent, quod primo ex livido colore digitorum extremorum colligo: cum enim extremis digitis calor insit debilior, utpote quæ partes exangues magis; ideo deficiente calore hic etiam citius nocumentum percipitur, ita ut digitorum extremitates citius colorem ac habitum mortiferum suscipiant, quam alia membra. Deinde illud ipsum quoque ex tumescentibus venis colligendum est, utpote quæ amplius ea virtute prædita non fuerint, ut sanguinem, quemadmodum dictum est; perfectè retinere potuerint. Hæc ad casum præsentem ex decisione præcedentis problematis veritatis inquirendæ causa subijcere voluimus.*

6. Ab aeris constitutione externa.

Signa putredinis subsecuturæ.

PROBLEMA POSTERIVS.

An Sanguinis fluxus in cadavere occiso præsentiam interfectoris indicet?

Problema secundum de cruentatione cadaveris.

Plurimi sunt qui cum plebe Quæstio-

nis affirmativam statuunt, quam ob causam ab aliquibus hoc etiam observari solet, ut ijs, de quibus homicidij suspicio est, sæpius ad cadaver cum digitorum immißione in vulnus ducantur, ea propter, ut inde tanquam per signum concludere poßimus, qui nam verus sit interfector. Quemadmodum verè quidam vehementer peccant in eo, quod ex præsentia lactis in mamillis statim concludant virginem, vel ancillam, aut partum edidisse, aut saltem cum viro rem habuisse: cũ tamen sufficienter non solum rationibus, sed etiam experientia confirmari poßit, quod non solum in virginibus, sed etiam in viris humor lacti, quo ad sensum, penitus non absimilis, generari queat, ut sufficienter demonstratum legimus apud An. Laurent: lib. 9. Anatom. hist. quæst. 2. Ita sæpißime quoq; erratur in illo signo, quod à cruentatione cadaveris desumitur.

Vide lib. 1. Nobil. Exerc. de corp. et an. Ex. 7. quæst. 8.

Fallax signum à cruentatione cadaveris desumptum.

Quamvis enim non negare poßimus, quod interdum fortè fortuna præsente interfectore hæmorrhagiam patiantur cadavera: nullus tamen negabit, ut plurimum quoque absentibus homicidis cadavera quædam sanguine stillare. Imò sæpißime vero interfectore præsente penitus frustrà tale signum à iudicib. expectatur: interdum non vero, sed ficto autore præsente, cruentatio sequitur.

Cum autem plurimi doctißimi viri cruentationis huius mentionem faciant, ideo primum aliorum opiniones referre conabimur, ut videamus postea, quid de nostro casu sentiendum sit.

Variæ

Variæ opiniones de cruentatione cadaverum occiſorum.

De cadaverum cruentatione varij varia dixerunt, quemadmodum ex ſequentibus apparet.

Cœlius. *Rhodiginus lib. 3. Lect. antiq. cap. 21. inquit*: Miraculum ex ſanguine ſubtexamus. Vnde enim fiat, ut in vulneris autorem ſi ſuperveniat intra horas plus minus ſeptem proſilire pernoſcatur? nempe qui vulneratur ac perimitur, in aſsilientem dolenter convertitur, cogitatio ultionem expetit avidè, ad id repentè inardeſcit bilis, à qua mox ſuccenditur ſanguis, raptimque tota vi ſeſe ad vulnus proripit, tum fomenti cauſa, tum vindictæ, Convolant ſpiritus inſimul, qui inſita levitate mox autorem circumſiliunt, cuius calore perſeverant, perſiſtunq; aliquandiu. Quo tempore, ſi vulnus inſpiciat is, cominus promitur in eundem ſanguis, tum calore nec dum extincto, tum quod nec agitatio quievit interior, ſimul quia vel prius in illum ſeſe cõcitarat. Porro quoniam ſpiritus ſuos repetit ſanguis, ſuumq; proliciunt ſanguinem ſpiritus. Sunt ex Theologis, qui in DEUM refundant eventus cauſam, ut horridius fiat peccatum & deteſtabilius.

Langius lib. 1. Epiſt. Medicinal. 40. hæc habet: Sed quam obſecro afferes cauſam, cur occiſorum corpora

corpora præſente ſicario cruentent, quum mors ſit caloris naturalis extinctio, cuius frigore ſanguis congelatur ac torpet? an aliquas ſenſilis animæ cupiditatis ſcilicet & vindictæ vires, etiam poſt mortem adhuc in ſanguine, donec putreſcat, ſubſiſtere cum Philoſophis quibuſdam affirmabimus? quod certè Lucretius Poeta & Philoſophus Epicureus, his carminibus utrunque fateri videtur dum lib. 4. ita cecinit:

——— ——— ——— Libido
Incitat, irritans loca turgida ſemine multo,
Idq; petit corpus mens unde eſt ſaucia amore.
Namq; homines plerunq; cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem ſanguis, unde icimur ictu:
Et ſi cominus eſt, hoſtem ruber occupat humor.

At ſi diceret: perinde ac ſalax mentis libido affectat ſemen effundere in amicam, cuius amore irritata ac ſaucia fuit mens; ſic quoque caro vulnerata, rubro ſanguine aſpergere hoſtem præſentem deſiderat.

Levinus Lemnius lib. 2. de occult. nat. miraculis cap. 7. quæſtionem eandem proponit, dicens: Quod ſi quis ſtatuat propinquos ac ſanguine conjunctos ſympatheia quadã, hoc eſt mutuo naturæ conſenſu, ſanguinem elicere: facinoroſum ac patrati ſceleris reum antepatheia quadam ac diſſenſione, tacitaque diſcordia idipſum tum efficere, non futurus ſum in ea re contentioſus.

Hoc

Hoc tamen minus gravatè sum admissurus, sanguinem ex plaga exprimi, tametsi obligata obductaq; sit, ac fasciis devincta, si ille, qui facinus admisit, ex adverso constituatur. Tanta enim ac tam valida latentis naturæ vis atq; imaginatio, modo aliquid vitæ supersit, aut corpus mortuum incalescat, ut sanguis ebullire, accensaq; bile effervescere incipiat.

Mizaldus cent. 1. Memorabil: aph 4. inquit: Experientia quotidiana compertum est, submersorum corpora, ubi in conspectum producuntur, eorumq; qui sunt interempti vel confossi præsentibus amicis, aut eo, qui interitus causa illis extitit, sanguinem è vulnere, naribus aut alia corporis parte profundere. *Opinio Mizaldi.*

Fran. Valeriola lib. 2. observ. mihi fol. 202. recitat. Lucretij versus citatos, & postea subijcit: Hoc carmine Lucretius non aliter vult sanguinem hominis oculorum radio affecti & vulnerati in vulnerantem prolabi, quam hominis gladio cæsi sanguis prolabitur in cædētem: quod & experientia sæpè docet, & id ipsum quoq; me vidisse testari plena fide possum. Nam cū Jacobus ab Aqueria Patritius Arelatensis vulnere mortuus esset, & qui vulnerarat à Magistratu comprehensus, in conspectum cadaveris delatus fuisset, ut occisū recognosceret, & scelus fateretur, mox ebulliens sanguis multo cum fervore & bullis prodire è vulnere & è naribus cœpit, spectantibus cunctis. Cuius *Opinio. Valeriol*

miraculi hæc adferri ratio poteſt, quod quum nondum calor omnis in recens occiſo corpore extinctus ſit, nec agitatio omnis, visq; interior nobis occulta quieverit : ultionem quidem tacita illa vis clamat, moxq; ad vindictam bilis accenditur : ab ea ſanguis inflammatur, & ad vulnus confeſtim prorumpit petefacto ad exitum per vulnus meatu : eodem concurrunt & ſpiritus, qui quoniam leves ſunt, ad occidentem hominem, ſi corã ſteterit volantes, in eum migrant: ſervaturq; nativo calore aliquandiu, nempe ad horas plus minus ſex aut ſeptem : quo quidem in tẽpore ſi qui interemit in conſpectum interempti veniat, & interemptum intentè inſpiciat, vulnus cruorem verſus interimentem eijcit: quod, quemadmodum diximus nondum in cadavere recens iugulato ad horas aliquot vis omnis interior calorq; extinctus ſit: qua quidem latẽte & interiore vi efficitur, ut ſanguis ſpiritus ſuos repetat, atque etiam ſpiritus ipſi ſuum attrahant ſanguinem, unde ipſius manatio & effluxus conſequitur. Sed magis, ut rectè arbitrandum eſt, Dei iudicio arcano, maleficum hominẽ tali ſigno notaque peculiari ac propria deſignare ac prodere volentis id fieri cẽſendum eſt. Sanguis namq; interfectorum ad ſui vindictam clamat ad Dominũ, ut Geneſeos 4. ſcriptum eſt. Idem ferè iiſdem verbis reperit hic autor eodem lib. *2.* obſer. *9.* mihi ſolio *230.*

Cornel.

Cornel. Gemma lib. 1. Cosmocrit. cap. 6. inquit: Videmus extincto cadavere, usque ad tertiũ diem interfectoris imaginem velut in cõcreto sanguine latuisse, cũ eodem semel præsente residuus ille spiritus propter ideas inhærẽtes in percussorem obvium concitetur: nec prius profluvium sanguinis è vulnere supprimatur, quam qui occiderit, longius à funere sit semotus: quod studiosè semper ad probãdum facinus à prætoribus observatur. *Opinio Cornel. Gemmæ.*

Iohan. Bodinus l. 2. Dæmonomaniæ c. 3. mihi fol. 265. ita philosophatur de hac controversia. Notavit antiquitas, & Plato scripsit libro de legibus *1.* animos eorũ, qui occubuerunt in occisores insistere: quod Marsilius Ficinus l. *16.* de animar. immortalit. Lucret. & Virg. Æneid. 4. Verũ esse dicunt, & infinitis judiciis probaverũt judices, homicida super cadaver (etsi non attingat) transeunte, statim è vulnere manare sanguinem. In hanc rem non pauci quoque doctores Civilis & Canonici juris consentiunt, & præsumptionem hanc argumentum esse conjecturamque violentam in reum statuunt, ex qua legitimè ad quæstionem rapi posit: nam etiam hoc modo sæpè innotuerunt sontes. *Opinio Bodini.*

Quidam ut sunt Pet. Gregor. Tholosanus & Prosper Farinacius Icti & Philosophi eximii *referunt* Petrum Apponensem; *qui præstantissimum illud conciliationum opus conscripsit, in comm. 7. part. problm. Aristotelis statuisse, quod ex oculis autoris præsentis spiritus quidam in* *Opinio Pet. Aponensis.*

cadaver egrediantur,, qui postea vi sua sanguinem illum commoveant & eliciant. Additur deinde autorem cædis eo tempore, quo vulnus inflixit, spiritus quosdam inimicitiæ in corpus interempti transfudisse, qui propter cognationem postea autorem præsentem persentiscant, atq; fontem suum repetentes, sanguinem commoveant, & secum ad vulnus trahant.

And. Libavius vir solide doctus, & de studio Philosophico & Medico bene meritus tract. de cruentat. cad. thes. 130 inquit: Sed ut ad cadaver interempti redeamus, quo pateat naturaliter moveri sanguinem debere & posse, dicimus: qui motus ante mortem vehementissimo in affectu fuit in corpore, eius vim & potentiam tā citò extinctam non esse, sed adhuc in actum proclivem, data occasione, moveri similiter: alteratum enim sequitur naturam alterantis. Et causa vehemens vehementes habet impressiones. *Sed præter hanc aptitudinem requiritur etiam aliquid in præsentia percussoris, quare sic pergit idem thes. 187. & sequ..* Est aliquid in percussore, quod motivum & perfectivum si sanguinis. Illud est, aut ratio qua præsens, aut qua percussor est, aut qua magica commotione excitatur sanguis, aut qua spiritus quosdam, tum ex perspirabili corpore more solito emitit, tum quà animus conscius agitatus longè uberiori vi halitus ad corpus notum expellit. Ratio qua præsens aut qua percussor per se nihil habet viriū, sed solum ex accidente. Nam ita signarentur omnes, etiam

Opinio Libavij.

qui

qui lege interemerint, & sive homo, sive animal esset interemptum. Magiam ut ante in genere, ita hic in specie reijcimus. Etsi enim diabolus possit procurare effluxum in gratiā magorum, vanus tamen est prætextus. Accipimus ergo rationem quæ ex spiritibus seu halitibus interempti petitur, eamq; dicimus esse causam moti sanguinis in percusso, nisi quid impediat. Procedunt autem isti promptius in aere libero, puro, calido, non alterato aromatibus, aut alijs graveolentibus; & si accesserit fortis animi motus, & imaginatio percussoris.

Martinus Delrio lib. 1. Disquisit. mag. ca. 3. quæst. 4. hæc habet verba : Cadaver coram occisore, propter præcedentem contactum sanguinē solet fundere. Respondeo. Varias reddi causas. Quidam miraculo tribuunt, quidam casui, quod factum sit aliquando, ut cadaver tū cruorem mitteret, cum præsens erat reus homicidij; recensui alio loco multas hac de re sentētias & autores laudavi: neq; adhuc video quid solidius afferatur illa antipatheia, ex vehementi odio occisi in occisorem, quod qualitatem latentem & arcanam impresserit corpori, cum cadavere permanentem, & huc referendum illud Lucretii, Idq; petit corpus &c. ut sit vivi amantis & mortui hostis comparatio. Idem lib. 4. eiusdem operis cap. 4. qu. 5. sect, 2. inquit : Nulla in sanguinis illa missione causa subest suspicionis de pacto cum *Opinio Mar. Del.*

dæmone: nihil illic miſcetur ſuperſtitioſi non quæritur illic à Deo ſignum, & proinde nec DEVS tentatur.

Opinio Philippi.

Dn. Philip. Melanch.lib.1.Phyſ.fol.44. Pro confirmanda Providentia divina hoc ipſum adducit, his verbis: Imo admiranda ſigna interfectorũ corporibus divinitus addita ſunt, quæ monſtrant autores cædis: nã corpora mortua ſtillant cruorem, cum ad ea accedit autor cædis.

Opinio Tholoſani.

Pet.Greg.Tholoſan.lib.35.Syntag.Iuris univerſi c.20 num. 8. hæc habet. Referveſcit occiſi ſanguis, & quodãmodo concutitur mẽte occiſus, adverſario, qui necẽ intulit, præſente. Sicut in ſubmerſis per ſympatheiam, ſi amici adſint, ſanguis floridus emittitur. *Refert idem ſententiã ſeq*

Opinio Galeotti Martij.

Galeotus Martius Narnienſis lib. de promiſcua doct.cap. 22. in hæc verba ſcribit: Reliquum eſt ut rationem aut cauſam exquiramus, unde, cum homo occiſus eſt, cuius ſanguis refrixit ac fluere deſiit, comparente occiſore rurſum fluat. Quod ſæpe contigit, & nos quoque plerunq oculis vidimus, & Græcia de Patroclo hoc idem ait, Hectore homicida comparente. Sed hoc intra ſpacium decem aut duodecim horarum ut plurimum contingit, rariſſimè ulterius ſe extendit. Nonnulli ex occiſoris & quidam ex occiſi ſpiritibus hoc accidere arbitrãtur, quod abſonum eſt: nam ad ſanguinis iam frigefacti motum non una pars ſpirituum ſatis eſt, ſed utraq; concurrit. Cum enim occiſor furore ductus hominem aggreditur, cum

ẽti

cti ſpiritus, qui ſui ſunt, opus juvantes in occidendum convolant, ſicut de more eorum eſt: itidemque hominis trucidandi in occiſorem tendunt, quo ira corporis ſui proſilit, ita ut in occiſorẽ volent, ibiq; vivant. Cum ille occiſus eſt, ſanguis jam frigefactus fluere deſiit: ſed comparente occiſore ſpiritus utriuſq; diverſo motu agitantur. Quilibet ſuum corpus repetens motum facit, unde & hominis occiſi ſpiritus redeuntes, ſedemq; ſuũ repetentes, & occiſoris recedentes, ut ad corpus redeãt, faciunt motum eius rei, quam habitant (habitant autem ſanguinem) & hoc pacto ſanguis jam frigidior, & ad fluxum ineptus, ab occiſoris & occiſi ſpiritibus vi multiplicata agitatus rurſus fluitat: eſtq; illis tãtus proprii corporis affectus, ac plerunq; latitãtem hominem, ſed proximè exiſtentem, intra tempus, quod aſsignavimus (tot enim horis vivunt) recognoverint, ac repetiverint. Hoc autem non in omnibus occiſis, ſed in pleriſq; evenit, quoniã quorundam natura ita debilis eſt, ut eorum ſpiritus uno momento flacceſcãt. Neceſſe eſt igitur corpora, ubi hæc fieri debent, ſint calidiora quoniam calore ſpiritus conſervantur.

Hi ſunt præcipui autores, quos de cruentatione cadaverum ſcripſiſſe ſcimus, quorum opiniones tantummodo referre, & alijs dijudicandas exhibere voluimus. Jam conſequẽter mõſtrabimus, quid nobis probabile videatur, ideoq; concluſiones ſubſequentes addimus.

Conclusiones Veritatis.

CONCLVSIONES.

Pro decisione problematis.

CONCLVSIO I.

Conclusio prima.

Non negamus, quod præsentia percussoris in vivente vulnerato possit sanguinis fluxum commovere.

Imaginatio imperat humoribus & spiritib.

Verum est pronunciatum Philosophicum & Medicum, quod Imaginatio spiritibus & humoribus in corpore nostro imperet: hinc non mirum, quod sæpius admirandorum effectuum causa sit. Patet hoc tunc temporis potißimum, ubi ratione posthabita & appetitu intellectivo neglecto, vel saltem aliàs quiescente, solùm ea nobis convenientia iudicamus, quæ sensuum appetitus approbat.

Causa noctisurgij.

Ita noctambulones, quos Græci νυχοϐάτας *communiter vocant, rectius* ὑπνοϐάτας *dicerent, dormiendo surgunt & vigilantium opera peragunt, instigati videlicet ab imaginationis quadam specie per somnum oblata, quà spiritus & humores partibus progreßivo hominis motui destinatis transmittuntur, quod in Exercitationibus nostris* περὶ τῆς ψυχῆς *pulchre ex sententia claßicorum autorum plurimorum demonstravimus.*

Vide lib. 2. nob. Ex. de corp. & an. Exer. 8. quæst. 11.

Vnde commotiones in affectu amoris.

Quid aliud respondebis ad tantas ac tam subitas commotiones atque immutationes ex vehementißimo amoris affectu dependentes, quam Phantasiam in causa esse, quotidie enim accidit, quod Plautus in Mercat. habet.

Ego illic aſpicio forma eximia mulierem,
Quam ego poſtquam aſpexi, non ita anno,
ut ſani ſolent Homines, ſed eodem pacto
ut inſani ſolent.

Quî hoc fiat rectiſſimè Lucretius addit lib. 4.
Hinc illæ primũ Veneris dulcedinis in cor
Stillavit gutta, & ſucceſſit fervida cura.
Nam ſi abeſt quod ames, præſto ſimulchra
tamen ſunt
Illius, & nomen dulce obverſatur ad aureis.

Phantaſia igitur vel Imaginatio in cauſa eſt, quod humorum ſpirituumq; fiat perturbatio, quæ tantorum ſymptomatum in corporibus amantium cauſa atq; origo exiſtit: hinc, ut Poetæ verbis utar,

Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes
Curaq;, & immenſo, qui fit amore dolor.

Taceo reliquas animi perturbationes, quibus humores & ſpiritus propter obiectum, quod vi imaginationis nobis iucundum vel moleſtum apparet, pro moleſtia vitanda, fruendaq; iucunditate, in corpore noſtro hinc & inde moventur atq; agitantur. Hinc Vallesius lib. 2. controverſ. cap. 4. Cum imaginamur rem terribilem, colligit ſe ſanguis verſus cor, cum jucundam effunditur, cum indignam aut turpem, tendit in faciem: cum libidinoſam, tendit in genitalia: atque in has aut illas partes, ut hæc aut illa imaginatio ſurripit.

Motus ſanguinis in imaginatione diverſus.

Silentio prætereo mirabiles Imaginationis effectus in animantium generatione occurrentes, quas innuit Ariſtoteles *ſect. 10. probl. 12. ubi diverſitatem*

Imaginatio quid poſſit in

generatione? & dissimilitudinem humani partus refert ad cognitionum humanarum velocitatem, ingeniiq; varietatem, multiformes notas conceptui imprimentem. Et Galenus lib. de ther. ad Pison. affirmat, quod Aethiopi pro formosa prole suscipienda suaserit, ut formosam imaginē mulieri congressus tempore sæpius ostentaret; quem consilio huic non sine eventu paruisse scribit. Vide hac de re Fernelium lib. 7. Physiol. Laurent. Anatom. lib. 8. quæst. 20. & Bapt. Portam lib. 2. Magiæ natur. cap. 19. & alios.

Imaginationem in vulnerato vivente sanguinem commovere posse, præsente vulnerante. His obiter præmissis absq; difficultate conclusionem præsentem demonstrabimus. Cum enim percussoris præsentia vulnerato non possit non ingrata accidere, præsertim cum percussor tale sit obiectum respectu vulnerati, quo cupiditas reponendi doloris, libido puniendi & concitatio animi ad vindictam illatæ iniuriæ foventur & excitantur, idcirco mirum non est, quod humores & spiritus commoveantur, & sanguis affatim in vulnus irruat, præsertim cum aliàs in irato foràs effundatur calor, & pulsuum maximus & vehementissimus motus subsequatur. Hinc Fracastorius lib. de sympath. cap. 21. Ira per se est appetitus nocendi causæ nos offendenti, ex quo collectio caloris fit circa cor, & transmissio eiusdem per se ad partes externas.

Cur sanguis per vulnus proruat? Adde quod illa pars citius affluxum humorum recipiat, quæ debilior est, quam ob causam fieri potest, ut maximo cum impetu sanguis è vulnere proruat præsente percussore, tum quod hac ratione per iram commoveatur, & quasi pro defensione ad exteriora prorūpat; tum quod pars vulnerata sit debilior, & sanguini

irruenti

irruenti resistere nequeat. Non igitur impossibile est in vivente vulnerato, præsentiam percussoris, sub ratione obiecti inimici & vindicta digni, mediante animi perturbatione, sanguinis fluxũ è parte vulnerata excitare posse: hic enim, quod supra diximus, imaginationis vis & imperium in humores & spiritus apparet.

CONCLVSIO II.

In cadavere vulnerato præsentia interfectoris per antipatheiam propriè non potest esse causa fluxus sanguinei. *Conclusio secunda.*

Non quidem negamus, quod plurima sint in rerum natura, quæ ad manifestas qualitates, eo modo, quo pleraſq; rerum naturalium actiones contractu physico perfici videmus, reduci nequeant. Hinc abditæ corporum naturalium proprietates, quæ neque primis, neq; secundis qualitatibus adscribi possunt, sed latentem omnino substantiæ potentiam comitantur. Has alij occultas substantias, alij formales vires vocã', quibus non admodum repugnamus, modo distinguant accidens formale ab ipsa forma, quemadmodum iubet Scaliger Exer. 344. sect. 3. *ubi formam è subiecto suo non egredi, sed individuam absq; augmentatione diminutioneq; permanere demonstrat.* *Dantur occultæ qualitates.*

Hoc autem in præsentia quærimus num fluxus sanguineus cadaveris, interfectore præsente, ad eius modi occultam dissensionem referri possit, quemadmodum pleriq; autorum eò inclinant? Res dubitatione non caret, quam ob causam primo videbimus, quomodo συμπάθεια & ἀντιπάθεια *rebus naturalibus conveniant.* *Quæstio.*

 Non

Lata acceptio συμπαθείας. *Non autem hic latam & amplam illam horum vocabulorum significationem volumus, qua per sympatheiam interdum à Medicis quælibet condolentia partium humani corporis, à Physicis quælibet convenientia, quilibetq; consensus tam ratione generis, speciei, subiecti, proprietatum, quam respectu communium accidentium intelligitur: quia hoc præter institutum esset: Sed propriè sympatheiam eiusmodi affectionem dicimus, qua res naturales sese mutuo consensu appetunt, propter occultum spiritale effluvium, ita magnes ferrum, succinum paleas trahit.*

Quid propriè sit sympatheia

Causa sympatheiæ. *Causam huius reconditæ operationis ad spiritale effluvium refero, cum* Langio lib. 1. Epistol. Med. 34. Fracastorio de sympath. cap. 7. Scaligero Exer. citat, *quod ubi amicum & naturæ conveniens consensum, sin minus mutuum dissensum producit. Hinc* Cœlius Rhodig. lib. 9. antiq. Lect. c. 24. & lib. 6. cap. 12. *Magiæ naturalis effecta, per* συμπάθειαν *&* ἀντιπάθειαν *producta, nullo modo arti, sed ipsi naturæ attribuenda esse censet.*

Negatur quæstio. *Tali naturali antipatheia & dissensione respectu interfectoris & interfecti non potest fieri fluxus sanguinis in vulnerato & occiso. Cum enim illa discordia vel antipatheia nullam aliam originem habere possit, quam præcedentem inimicitiam, quæ fuit inter occisorem & occisum: ideo consequens est eandem hisce duobus congenitam & innatam esse minimè posse, quod tamen de antipatheia propriè dicta corporum naturalium semper verum est.*

Vnde Libavius in tract. de antipath. rarâ par. 2. Sing. *inquit*: Sympatheia & anti-

patheia

patheia quanquam in animalibus item possint esse cum affectu sensu & judicio, indeque etiam exuscitari, & in actum duci, tamen per se ab illis sunt sejunctæ, debenturque naturæ simpliciter. Inveniuntur enim non in animalibus tātum concordiæ & discordiæ tales; sed & in mineralibus vegetabilibusq;, eæque nō imperfectæ sed perfectæ. Vnde licet intelligere in animalibus esse, non qua sunt animalia, sed qua habent naturam, licet, ut actiones naturales, interdum, animalium motibus lacessantur, provocenturque. *hæc ille.*

Sympatheia & antipatheia à natura insunt.

Ratio huius assertionis inde sumitur, quod naturalis antipatheia cum ortu rerū incipiat, unde spiritalis effluxus inimicus, qui causa est aversationis, non ex accidenti rei imprimitur, sed una cum subiecto nascitur, hinc vitem braßica semper abhorret. Ita parens ille, cuius meminit Libavius *citato loco, filium proprium absque animi defectu statim ab ortu per totam vitam in eodem conclavi tolerare non potuit. Atqui contingens est, ut unus interficiat alterum, quomodo igitur his corporibus talis inesse potest antipatheia, ut uno præsente alterum naturali discordia, quæ ex prima generatione dependet, moveatur & sanguinis fluxum exhibeat.*

Ab ortu statim incipit sympatheia.

Adde quod operatio naturalis antipatheiæ perpetuo sit eadem, nisi quid obstet, quod κρᾶσιν *mutando spiritale effluvium corrumpat. Verum enim verò annon sæpius, imò sæpißimè contrarium testatur experientia, quod præsente interfectore frustra sangui-*

 nis

nis fluxus expectetur : imò ſæpius eodem per multa milliaria abſente,copioſius fluit ſanguis?

Inſtantia. Sed inſtabis fortaſsis: *Quamvis antipatheia nõ ex cognitione quadam ſenſuali,ſed propriè ab ipſa natura dependent: non tamen negari poteſt, quod in inimico & hoſtili conflictu occiſoris & occiſi maxima corporis perturbatio præcedat, quæ eiusmodi qualitatem occultam humoribus & ſpiritibus imprimere poßit, ita ut effluvium ſpiritale inimicum ab occiſore effluens, in corpore occiſi ſanguinem commovere queat, quod ex plerisq; citatis autoribus colligere licet.*

Reſolutio. *Reſpondeo:non quidem negamus, quod in hoſtili conflictu maxima fiat ſpirituum & humorum commotio, quatenus ipſis phantaſia imperat, & tanquam adminicula pro defendendis partibus huc & illuc tranſmittit. Cum autem nullum obiectum ſenſile ſecundum realem ſuam naturam & exiſtentiam à ſenſu noſtro recipiatur, ſed ſolum per ſpeciem ſenſibilẽ,tanquam per imaginem repræſentetur, quemadmodum* Philoſophus lib.*2* de an tex.*21*.affirmat, quod ſenſus rem ſenſibilem percipiat eo modo, quo cera ſigillum recipit,ſcilicet non materialiter,ſed per ſpeciem *:idcirco penitus non video,quomodo corpori percuſſoris eiusmodi qualitas realiter imprimi poſſit, quæ per effluvium ſpiritale poſtea egrediatur, & ſanguinem in occiſo corpore ad motum adhuc aptum commoveat.*

Senſile obiectum non percipitur realiter.

Non enim eſt inter hoſtes pugna, quatenus ſunt homines, vel quatenus corpora, ſed potius quatenus unus alterum odit, & illatæ iniuriæ vindictam expetit.

Inter hoſtes pugna eſt reſpectu odij.

Atqui

Atqui odium & vindicta, præcedentem cognitionem sequentia, non solius corporis affectiones dici possunt, sed animæ cum corpore coniunctæ, ita ut Aristoteles lib. *1.* de an. cap. *2.* dicat videri solum animæ affectiones, omnes cum corpore esse, propterea, quod ijs præsentibus simul quoq; corpus afficiatur. *Quæritur quomodo corpus afficiatur? non aliter quam respectu vehementissimi ac repentini motus, qui in affectibus accidit, humoribus ac spiritibus.*

Odium quid.

In odio quomodo corpus afficiatur.

Non igitur per obiectum inimicum imaginatione conceptum statim eiusmodi qualitas antipatheiæ imprimitur corpori, sed animi quædam perturbatio sequitur, ad quam contenta diversimode in vivente corpore moventur. Patet ex his, quod antipatheia quædam naturalis inter occisorem & occisum in causa non sit, quod cadaver præsente interfectore sanguine stillet. Quod autem hic de antipatheia diximus, illud contratio modo de sympatheia quoq; sentiendum esse iudicamus, quam quidam causam statuunt, quod interdum cognatis præsentibus cadavera cruentationem patiantur.

CONCLVSIO III.

Conclusio tertia.

Corpus sanguineum, cum vindicta mortuum & occisum, per plurimos dies, vel continuo, vel per intervalla naturaliter sanguinem stillantem habere potest, præsente vel non præsente interfectore.

Quemadmodum animi affectibus vehementioribus

Affectibus commo-

ventur humores & spiritus. ribus in homine vivente maxima fit spirituum atque humorum cōmotio & permutatio, ut ex præcedentibus apparet, & quotidiè per experientiam Medicorum cōfirmatur, qui nunquam non, in omni morborum genere curando, moderamen iræ, vindictæ, cupiditatis, amoris, aliarumq; perturbationum præscribunt: ita negandum non est, in ipsis contentis, humoribus & spiritibus post mortem quoq; ad tempus, umbram & vestigium quoddam illius commotionis remanere, quæ paulo ante mortem præceßit.

Cur sāguis in cadavere aliquando fluat?

Non ergo mirum, quod corpus aliquod sanguinem violenter cum vindicta mortuum & occisum eiusmodi commotionem humorum adhuc patiatur, & per dies quosdam sanguinem per vulnus emittat: ea enim natura est sanguinis in venis existentis, ut reliquias quasdam caloris & spirituum in sese retineat, per quas commovetur ad tempus eo motu, qui paulo ante mortem anima adhuc præsente eidem fuit impressus.

Cur præsētia interfectoris nihil faciat ad sanguinis fluxum?

Ad hanc igitur commotionem, ubi datis necessarijs requisitis accidit, nihil facit absentia vel præsentia interfectoris naturaliter, quia motus humoris in mortuo cadavere non poteſt ex præcedenti quadam imaginatione rei inimicæ, percussoris scilicet, introduci, quod conclusione prima in vulnerato vivente cōconceßimus: abest enim vis cognoscens, qua aliàs homo vivens malum vel bonum primo dijudicat, secundum quam dijudicationem Phantasia vel Imaginatio spiritus & humores diversimode commovet.

Nec etiam antipatheia ex odio occisoris & occisi genita sufficit quod in praecedenti conclusione monstravimus.

Contra illos qui ad antipatheiam recurrunt.

Taceo quod inconveniens sit illorum placitum, qui animas occisorum circa cadavera errantes, propter odium, quod gerunt erga occisores huius effectus causam statuunt, quod in Philosophia minimè statuendum, utpote cum forma separata nullo modo per subiectum ulterius agere possit: in Theologia verò idipsum impium esse videtur, quia manes defunctorum extra mundanam conversationem sunt, ut satis apparet ex historia divitis & Lazari Lucae. 16. quod Theologis relinquimus.

Contra Bodinum.

Si quis effectum hunc immediatè ad Deum referat, cum quibusdam ex autoribus supra allegatis, quasi Deus hoc modo sontes interdum innotescere velit: vel ad Diabolum, quasi velit interdum illudere iudices, & hoc operam dare, ut ita nocentes cum innocentibus supplicio afficiant; huic breviter respondemus, hoc solum addendo, quod causa supernaturalis non temerè fingenda, ubi naturalis in promptu est. Quod si exempla talia sunt, quae ad has dictas causas naturales non reducuntur, qualia multa referuntur à Libavio par. 2. singul. mihi fol. 172. tunc nulla ratione repugnare possumus praeternaturaliter hoc fieri.

Contra eos qui ad remotas causas confugiũt.

Sed instabis fortassis: *Si talis fluxus sanguinis solum ex his naturalibus causis dependet, cur non statim post mortem in paucissimis horis penitus totus sanguis ob fervorem atque commotionem exit? atqui videmus, experientia teste saepius per plurimos dies eundem*

Instantia.

es eundem

es eundem durare, nec etiam semper continuò, sed per intervalla stillare deprehenditur.

Resolutio. Respondeo breviter, quod ea, quæ fiunt per se, distinguenda sint ab ijs, quæ fiunt per accidens. Stillat sanguis per se ex commotione eidem introducta, ut diximus. Quod autem vel rarius, vel copiosius, vel parcius, vel cõtinuò, vel per intervalla fluat, hoc non solũ externis ambientib. causis, sed etiam internæ corporis dispositioni, sanguinis abundantiæ vel defectui, venarum obstructionibus, alijsq; impedimentis adscribendum est. Quis enim negabit, quod aeris externi constitutio calida fluxum sanguinis promovere, frigida contra impedire queat, utpote cum omne calidum aperiat rarefaciendo, frigidum verò corpus occludat constringẽdo? ita quis non copiosum sanguinis fluxum in sanguineo corpore, minus talem in alio sua sponte concedit? quis nõ ipsum sanguinẽ pro ut tenuitate vel craßitie præditus est, partim impedire, partim promovere posse fluxionẽ nobiscum statuet? Probavit hoc paucos ante annos experientia in infante à scelerata matre statim post ortum occiso & ex arce Generosi cuiusdam Baronis superioris Austriæ, in fossam aqua repletam iniecto, qui post quinq; septimanas forte fortuna repertus atque exemptus, non præsente matre, tunc temporis adhuc incerta, statim ubi vim externi aeris percepit, admodum sanguine recenti stillare cæpit, quod scilicet ob frigus aquæ meatus ad sanguinis fluxum accommodati penitus obstructi, iam calore ambientis aeris reserati atq; aperti fuerint,

Effecta caloris & frigoris.

Exemplum de hæmorrhagia.

Ita sæpius quoq; accidit, ut fervor hic sanguinis tunc solum exterius appareat, quando adducitur is, qui

Cur adducto interfe-

inter

interfecisse perhibetur, idq; non propterea quod interfector sit præsens, sed quia iam cadaver commovetur, vulnus aperitur: aut quia propter hominum frequentiam in eiusmodi spectaculis maximam calidiores expirationes ad aperiendos corporis meatus & humorum fluxiones citandas plurimum inserviant. *ctore interdum sanguis fluat.*

CONCLVSIO IV.

Corpus violenter occisum per septimanas aliquot conservatum iterum naturaliter sanguine stillare potest, quod tamen rarò fieri solet. *Conclusio quarta.*

Accidit interdum ut corpora mortuorum occisorum per aliquot septimanas conservatorum (quod tamen rarò fieri solet) iterum recenti sanguine stillare incipiant, quod ut vulgò insolitum, ita statim ominosum statuitur, quasi præsentia interfectoris hic certò indicetur.

Veruntamen qui paululum in mutationibus rerũ Physicarum exercitatus nobiscum corporis humani interitum perpendit, ille non potest non concedere, quod talia penitus naturaliter accidant. Primo enim nullus nisi Physicarum rerum ignarus negabit hoc, quod venæ, quæ sunt vasa sanguinis, peculiarem vim habeant in sanguine conservando, quam ob causam sanguis, quamdiu est in venis, tamdiu etiam naturam atq; consistentiam suã retinet, & fluxilis manet: ubi venas exit præter naturam, tam in vivo, quam in mortuo corpore statim in grumos concrescit. *An naturaliter post aliquot septimanas fieri poßit hæmorrhagia in occiso?*

Hoc tam manifestum est, ut luce meridiana clarius dici poßit, utpote cum in anatomicis tractationibus *Sanguinem fluidum,*

corporis

remanere posse in corpore mortuo.

corporis humani illudipsum sensibus appareat, quam ob causam patet iam quomodo sanguis fluidus & non congelatus per aliquod tempus in corpore mortuo, tali videlicet, quod alias aptum est, ut absque putredine per septimanas quasdam durare poßit, secundum hypotheses problemate priore positas, remaneat.

Partes corporis diverso modo putrescunt.

Secundum, quod ad conclusionis confirmationem facit est diversa putredinis ratio in corporis humani partibus, non enim omnia membra eodem tempore putrescunt, quia non omnium eadem natura est, propterea quod humanum corpus penitus dißimilare & organicum, hoc est, ex partibus diversæ naturæ compositū sit. Iam verò notū est, quod membra humidiora & calida præ cæteris facilius putrescant, unde sequitur, quod reliqua ad frigiditatem & siccitatē inclinantia non ita putredini sint obnoxia. Ex his facilimè concludimus venas præ aliis partibus diutißimè à putredine conservari, quapropter in sanguine continendo suum officium ad tempus præstare possunt: ubi verò tandem & his putrefactio dominatur, tunc sanguinem non amplius conntinent, sed eundem emittunt, qui ob sui gravitatē primos quoq; meatus atq; cavitates occupat, donec tādem ita fluidus exeat. Hæc ergo vera est causa naturalis & Physica, quod etiam post septimanas aliquot fluxus sanguinis in cadavere necessariis requisitis dispositio interdum renovetur, quia scilicet tunc venæ putrefieri incipiunt, unde non amplius sanguinem continere possunt.

Venæ non cito putrescunt.

Hactenus proposuimus ea, quæ nobis probabilia visa sunt, de problemate posteriori, ex quibus satis superq; patet, quod ex cruentatione cadaveris de inter-

fectore

fectore præsente certum aliquod signum vix atque ne vix quidem desumi posit, quod prudentißimos Iurisprudentiæ Doctores quoq; commovit, ut alijs coniecturis deficientibus huic sanguinis fluxui plane fidem non adhibeant: ita enim rectißimè de quæstione hac disseruit Dn. Iohan. Zangerus Jctus celeberrimus tract. Quæst. pag. 52 his verbis: Ego valde leve indicium esse judico ex sententia saniorũ Philosophorum & Medicorum, si sanguis ex vulnere interempti, præsente eo, qui inflixit id, vel etiam ex naribus, oculis, ore, alijsq; partibus humani corporis profluat. Nonne n. fieri potest, ut sanguis, qui in venis delituit, agitato, motoq; corpore & venarum oris reseratis erumpat? Quod si casu sanguinolentus liquor emanat, nempe aut per os, nares, aures, infernasq; sedes, sanè ne quidem ex eo indicium certum sumi potest. Nam teste Lev. Lemnio lib. 2. de nat. mirac. occul. cap. 7. plerumq; ex fluido laxoq; cadavere, ubi duobus tribusve diebus servatur in sepulchrum, sanguine commixtus liquor profluit. Quemadmodum boves & tauri, post lanienam laquearibus affixi solùm ac pavimentum sanguinis stillicidio cruentant. Nisi ergo alia indicia concurrerent, & quidem urgentia, non existimarem eo solo, quod sanguis profluat ex cadavere, judicem commoveri debere, ut accusatum quæstioni subijciat. &c. *Ad eundem modum* Prosper Farinacius Ictus Romanus *lib. 1. prax. & theor. criminal. tit. 5. quæst. 52. num. 156.*

Icti non habent fidẽ fluxui sanguinis.

Sententia Zangeri Icti.

Sententia Farinacij.

 inquit

inquit: Licet aliqui dicentes hoc indicium esse magnum, verum, verisimile, credibile ac proximum, tacitè etiam sentire videantur, & aliqui expressè affirment illud esse sufficiens ad torturam: Veritas tamen est, quod de se solum ad torturam minimè sufficiat. *Addit rationes ex Anton. Gomez.* I. Quia hoc indicium est nobis incertissimum, & ex causis nobis incognitis & valde remotis proveniens. II. Quia tortura est actus gravissimi præiüdicii: ideo stãte incertitudine prædicta sanctius est nocentem impunitum relinquere, quam innocentem condemnare; quia licet indicia sint arbitraria, debent tamen nobis esse certa ex aliqua extrinseca & cognita præsumptione: sed istud indicium nullo jure vel causa, quæ juridicè concludat, nobis constat: Ergo non valet, nec ex eo reus venit torquendus.

Tantum de posteriori problemate addere voluimus, ut ita pateret, quid in his casibus naturaliter fieri poßit: iam consequens est, ut ea, quæ dicta sunt ad casum præsentem accommodemus.

Accommo-

Accommodatio problematis posterioris ad casum propositum.

Quemadmodum in præcedenti problemate ex veritatis determinatione tandem ad casum propositũ, quo ad unam partem responsum fuit: ita quoque iam superest, ut ad alteram ex secundo problemate determinato respondeamus. Quod ergo corpus illius mortui iuvenis non solum in principio, primis diebus, sed etiã in fine, nimirum circa septimanam ultimam ante sepulturam sanguine stillarit, hoc nullo modo præsentia vel absentia interfectoris præstitit, sed ipsa corporis constitutio, quam ob causam non tribus, sed unico verbo concludimus, scilicet naturaliter hoc factum fuisse. *Quantum enim ex præcedentibus colligere licet, fuit constitutionis partim sanguineæ, partim cholericæ, & mortuus est in fervore sanguinis, non sine vindictæ vehementia. Quis vero negabit ante mortem se. & in ipsa morte maximam humorum & sanguinis potissimum commotionem factam fuisse, quamobrem primis diebus per vulnus superius quotidie manavit sãguis, utpote propter reliquias caloris & spirituum ebullientens & exitum per superiora petens. Sedatâ hac sanguinis effervescentia per septimanas aliquot cruentatio desiit, & sanguis superstes in venis, tanquam proprijs receptaculis sese continuit, tam diu, donec tandẽ interius venæ putrescerent, quibus putrefactis rursus sanguis fluidus emanavit, non tamen ex vulnere superiori, sed ex inferiori, quod in hypochondrijs fuit, propterea quod tunc temporis non propter ebullitionem, sed ob necessitatem loci, vasis putrefactis, exitium sibi quærere coactus fuerit.*

Declaratio Casus propositi respectu partis prioris.

Naturaliter sanguinem fluxisse.

Naturaliter post aliquot septimanas hæmorrhagia desijt.

Hinc non tenuis & effervescens ille sanguis esse potuit, sed crassus atq; niger fuit, utpote tam diu vi venarum turgentium retentus. Quod etiam colligitur ex ijs, quæ in præcedenti problemate dicta sunt, de signis quibusdam putredinis incipientis in ijs partibus, in quibus calor nativus citissimè debilitatur, nimirum quod venæ in fronte tumidæ apparuerint, per putredinem incipientem attenuatæ: item quod extremitates digitorum livido colore præditæ fuerint, unde signum caloris evanescentis, & per consequens putredinis incipientis certissimum colligitur.

Patet ex dictis, quod omnia illa accidentia, quæ in casu hoc proponuntur, optimè ex naturalibus causis deduci possint, nec præsentiam interfectoris, utpote qui profugus per multa milliaria abfuit, quicquam hic effecisse, quod breviter per hunc Philosophicum & Medicum discursum demonstrare voluimus, ne parentibus afflictis maiorem afflictionem addamus, ominosum quid fingendo in ijs, quæ ex naturalibus causis dependent.

Ita petitioni mœstissimi parentis satisfacere volui. Styræ superioris Austriæ 15. Julij Anno 1605.

Gregor. Horstius.

RESPONSIO,

Amplissimi Collegii Medici Academiæ Viennensis

ad casum eundem.

Data ad petitionem Dn. parenti nobilissimi juvenis interfecti.

QVæritur à nobis num ea, quæ circa nobilissimi juvenis globo tormẽtario transfixi corpus accidisse in libello proposito referũtur, ob causas naturales, an vero ob interfectoris præsentiã evenerint. Ad quæsitum hoc responsum eiusmodi dandũ esse arbitramur. Quod nobis omnia ea penitus eo modo, quo proponuntur certò sese habere non constet, sed ita esse solummodo præsupponamus, & à causis tantum naturalibus provenire potuisse censeamus.

Nàm quod primo loco de cruentatione cadaveris per 13. dies continuas facta & Cruentati-

 postmo-

postmodum recurrẽtes pluribus vicibus proponitur ex ijs, quæ balneator, qui cadaver singulis diebus huc usque inspexit, nobis corã exposuit, naturaliter accidere potuisse colligimus.

I. *Quia nobilis ille juvenis complexionis fuit sanguineæ benè constitutæ, eusarco corpore, & in principio iuventutis atque ideo sanguine multo præditus.*

II. *Globo fuerunt traiecta & lacerata vasa maiora, & sicuti vulneris situs indicat ipsum cor.*

III. *Quia in multis alijs cadaveribus, veluti in ijs, quæ in medicorum scholis secantur, per plurimos sæpè dies sanguis non congelatus conspicitur, præsertim arterialis, qui & congelari minimè est aptus, & à loco suo naturali, nimirum ab arteria, diutius potest conservari.*

IV. *Sanguis, qui ex superiori vulnere manasse dicitur, uti balneator præfatus retulit, in pannis complicatis & vulneris orificio appositis duntaxat apparuit, quare ab ipsis pannis, quos attrahere liquores alios constat, cum præsertim in thoracis cavitate aliquam sanguinis confluxi quantitatem restagnasse vero non sit dißimile, allici potuit,*

unde

unde etiam modicus fuit & tenuis : crassus enim attrahi nonpotuisset.

V. Post septem iterum à morte septimanas sanguinem nigrum & crassum effluxisse pariter mirum non est: quando enim calor putredinē aggreditur copiosos halitus excitare solet, unde cadavera brutorum in vias projecta sæpius tumefacta videmus. Ab illis halitibus vas aliquod sanguine turgens apertum, aut etiam sanguinem in thorace contentum fluxilem redditum esse non immeritò statuere licet.

Quod porro ad cadaveris integritatem *spectat, quòd nimirum facies colorata, & membra flexibilia diutius remanserunt, nec magna corruptionis signa apparuerunt, naturales similiter causas adducere licet.*

Cadaveris integritas naturaliter accidit.

Primo enim calidum innatum, quod Medici vocant, in hoc juvene copiosum extitisse ex paulo ante dictis non est dubium. Hoc autem ex se non est aptum ut congeletur, & à putredine vindicare potest efficaciter.

Deinde subito mortuus concidit nullo prægresso morbo, nec viribus, quam minimè attritis.

III. Potuit globos tormentarius ex eiusmodi metallo confectus fuisse, ut præservare à putredine potuerit: clavus enim æneus carnibus infixus eas aliquandiu imputres conservare scribitur.

IV. Sunt aliqui animi affectus, ut flagrantißimus amor, effrenis ira &c. quibus dominantibus, si mors obtingat cadaver vivo simile diutius perdurare potest.

V. Deniq; cadaver hoc asservatum fuit media hyeme, loco satis frigido & sicco, feretro non occluso.

Quibus ita constitutis, quod proposita accidentia præsentiæ interfectoris non sint necessariò adscribenda, licet ab illa cruentatio cadaveris nonnunquam excitetur, patere censemus. Viennæ *mense Septemb. Anno M.DC.V.*

Locus Sigilli

Decanus & Collegium medicum Viennæ Austriæ sigillum inclytæ Facultatis medicæ apposuit.

Ad Lectorem.

HActenus, amice Lector, intellexisti, quid de casu proposito statuendum, idq́; partim ex nostro problematico discursu, partim quoque ex addita responsione Amplissimi Collegii Medici Viennensis Academiæ. Cum autem in dictis plurima tam ex doctrina mixtionis & putredinis, quã ex tractatu de animæ potentiis & facultatibus præsupponantur: idcirco non præter rationem me facturum arbitratus sum, si duas subsequentes disputationes, quarum prior breviter mixtorum corporum naturam proponit, posterior nervosè facultates animæ declaratas exhibet, hic instar colophonidis una cum ἐξετάσει de sommo & somnijs pro complemẽto novæ huius editionis adderem. Tu valeas & si non ubiq; tecum consentimus, sine bile, non verbis & autoritatibus hujus vel illius, sed rationibus nobis contradicas, & erranti viam monstres. Iterum vale, & me ama.

Autor.

Gregorii Horstii D.

EXERCITATIO

De

MIXTIS IN GENERE,

In qua propria mixtorum principia, ipsa mixtio cum oppositâ putredine, & alia huc pertinentia declarantur,

Publicè VVittebergæ dextrè Philosophantibus examinanda proposita,

RESPONDENTE

Francisco Omichio Gustroviensi.

Anno M. DC. III. ad 6. August.

PRIMUM THEMA.

QVemadmodũ tota Philosophia naturalis, ita etiam doctrina de mistis corporibus naturalib. in genere scitu digna, maximeq; necessaria esse videtur.

Cum

Cum enim Physica nihil aliud sit, quam iucundißima speculatio divinorum operum, per quam rerum naturalium essentia determinatur, earumq; effectus demonstrantur, quinam, quaso, disciplinam hanc ingenuo homine dignam esse dubitabit? quod præter alias rationes multas hæc unica nobis persuadeat, nullam scilicet esse doctrinam, quæ naturæ vim, hoc est, ea quæ mediantibus causis naturalibus fiunt in hoc mundo, magis patefaciat, quam Philosophia naturalis: hæc enim declarat, quo usq; sese natura creata extendat, quam suis limitibus circumscribit, ita ut quilibet inter opera naturæ & opera supernaturalia facilè distinguere poßit. Quod cum ita sit, rectenè, ut arbitramur, doctrinam mixtorum in genere, quatenus partem philosophiæ naturalis à reliquis distinctam cõstituit, publico examini subijcere licebit?

Physica scientia ingenuo homine digna.

Physica distinguit opera naturæ à miraculis.

II.

Hanc doctrinam corporum mistorum ab elementorum tractatione, tanquam à proprijs eorum principiis meritò auspicamur.

Nam ut omnis perfecta scientia pendet à principiorum cognitione, *quia teste* Philosopho l.1.Ph. c.1.& l. 1.post.c.2 rem scire est per causas eandem cognoscere: *ita quoq; mixta in genere secundum essentiam suam, absq; principiorum propriorum, videlicet elementorum cognitione ab intellectu nostro nunquam dextrè percipiuntur. Hic maximè notatu dignum est illud, quod elementorum consideratio duplex sit absoluta & respectiva, ut innuit* Zabarella lib. 1. de Qualitat.

Mixtorum tractatio ab elementis incipit.

Elem.

plex consideratio. Elem. cap. 1. & Connimbricenses in præfat. lib. 2. de gener. & corrupt. *Cum enim duplex sit munus Elementorum, vel ut universi perfectionem cõpleant, quo modo ab Aristotele in libris posterioribus de cœlo considerantur, quatenus levitate vel gravitate prædita ad universum constituendum concurrunt: vel etiam ut sunt principia rerum mixtarum, qua ratione eorundem consideratio iucundissima ab* Aristotele in ll. de ortu & interitu *instituitur: idcirco duplex Elementorum tractatio in Physicis meritò concedenda erit, ubi nos posteriorem, quod præsens requirit institutum, retinere conabimur.*

III.

Elementũ quid?

Hîc elementum respectu præsentis considerationis dicimus corpus simplex, ex quo mixtum primò constituitur.

Tritum est pronunciatum Philosophicum, ut res sunt, ita definiuntur; *cuius ratio manifesta est omnibus ijs qui definitionis naturam intelligunt, eamq́; intellectam perpendunt: quid enim aliud est definitio, quam essentiæ nota, per quam communis & propria cuiusq́; rei natura nostro intellectui offertur? Quod cũ ita sit, necessarium esse videtur, ut talem Elementi definitionem constituamus, quæ naturam eius, pro ut mixtorum principium est, exactè nobis declarare possit.* Quare *primò diximus elementum esse* corpus simplex, *quia requiritur ut elementum sit indivisibile in aliam speciem. Nec obstat illud quod omne elementum ex materia & forma componatur, quia hæc* duo,

Definitio essentiæ nota.

Elementi definitio declaratur.

duo, corporum naturalium ſpecies ſeparatim non conſtituunt, ſed ſunt omnium corporum principia communiſsima, ut ex primo & ſecundo libro Phyſicæ Auſcultationis manifeſtum eſt. Porro additur, ex quo, *quæ verba monſtrant, qualia principia mixtorum ſint elementa, ſcilicet materialia potiſsimum:* ex quo enim aliquid generatur & conſtituitur, illud materia dici ſolet, teſte Philoſopho lib. 2. Phyſ. tex. 28. *Deniq; dico,* mixtum, *non enim quodvis ex elementis immediatè generatur, ſed corpus mixtum generaliter acceptum primariò intelligendum eſt. Additur poſtremo particula* primò *hoc eſt proximè: non enim negandum, quod prima quoq; materia mixtis corporibus ſubſtet, ſed hæc principium remotius & communius eſt, non proximum quod hoc loco inquiritur. Ita ſeſe habet definitio propoſita, quam ex* Fernelio lib. 2. Phyſ. & Bertino lib. 1. Med. *deſumpſimus, cum qua coincidit illa, quam Philoſophus lib. 5. Metaphyſ. his verbis:* στοιχεῖον λέγεται ἐξ οὗ σύγκειται πρώτου ἐνυπάρχοντος ἀδιαιρέτου τῷ εἴδει εἰς ἕτερον εἶδος. *Imò nec* Galenus *aliud dicit lib. 1. Elemen. ubi elementum affirmat eſſe partem minimam eius, cuius eſt Elementum: minimam partem, ſcilicet, ut ipſe addit, non quæ ſenſu, ſed quæ intellectu talis percipitur. Sit ergo conſtituta definitio, qua non abſolutè, ſed reſpectivè, ut diximus, elementum conſiderare voluimus: iam numerus elementorum inveſtigandus ſeſe offert.*

Definitio Elementi ſecundum Ariſt. et Galenum.

IV.

Non autem unicum tantùm Elementum, ſed plura, eaq; finita ſtatuimus.

Quem-

Plura finita tamen elementa esse respectu mixtorum demõstratur.

Quemadmodum elementa non simpliciter, quatenus per gravitatem & levitatem ad universi pulchritudinem concurrunt, in præsentia consideramus, sed alia ratione, nimirum quatenus mixta respiciunt tãquam principia sua principiata: ita etiam certus Ele*mentorum numerus hoc loco non ijs rationibus concluditur, quas philosophus à motu & loco proprio corporum simplicium sublunarium desumptas, lib. 2. & 3. de cœlo adfert: hæ enim ad absolutam elementorum considerationem pertinent. Quare ut nostri instituti non immemores simus, ijs utamur medijs, quæ numerum elementorum respectivè consideratorum, patefaciunt & determinant. Primò quidem aut unum erit elementum respectu mixtorum, aut plura; non prius, ergo posterius. Illud manifestum est ex mixtorum mutationibus, quæ principia eorum alterabilia esse demõstrant; atqui nihil à seipso patitur, quatenus idem, sed ab altero: unde consequens est, non unicum esse elementum, sed plura. Hoc etiam rectißimè animadvertit* Hippocrates lib. de human. natura tex. *5. si unum esset homo, nunquam doleret, quia causa doloris deesset: & ita omnia semper in eodem statu permanerent, de quo vide quoque* Galenum in cõmento & lib. 1. de Elementis. *Etsi verò diversa sint principia mixtorum, interim tamen infinita non sunt, quod falsò quidem statuebant: cum enim principium & principiatum quodammodo convenire debeãt, quomodo ex infinitis principijs finita principiata constabunt? quomodo rerum infinitarum dabitur scientia? Quocirca falsis aliorum opinionibus omißis, finitum elementorum numerum retinebimus.*

Dicimus

V.

Dicimus enim quatuor esse principia mixtorum, ut sunt: Ignis, Aer, Aqua, & Terra.

Nam ut in universo quatuor elementa statuuntur, ita mixtis quoque idem numerus principiorum attribuitur, quod ex suis fundamentis manifestum est, quemadmodum Philosophus solidissimè lib. 2. de gener. & corrupt. cap. 3. tex. *16.* & cap. 5. tex. *34. demonstrat. Cum enim elementa eam ob causam dicantur mistorum principia, quod invicem alterata & mutata mista constituant; cumque omnis alteratio & mutatio à mutua qualitatum actione & paßione dependeat: idcirco numerum elementorum ex ijs qualitatibus expiscabimur, quas sensu tactus in se invicem agere, & à se invicem pati primò natas in mixto deprehendimus. Harum sunt quatuor, nimirum* caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas, *quæ suis quatuor combinationibus numerum elementorum constituunt. Nec altera ratio, quam Philosophus lib. citato c. 8. tex. 4. proponit, negligenda est ubi quaternarium numerum elementorum in mixtis hoc modo concludit: ubi sunt terra & aqua, ibi quoque contraria eorum, scilicet ignis & aer, sed in mixtis absolutis sunt terra & aqua: Ergo etiam aer & ignis, & per consequens quatuor sunt mixtorum elementa. Maior probetur à Philosop. his verbis:* ἐπεὶ οὖν αἱ γενέσεις ἐκ τῶν ἐναντίων εἰσὶν, ἐνυπάρχει δὲ θάτερα ἄκρα τῶν ἐναντίων, ἀνάγκη καὶ θάτερον ἐνυπάρχειν. *Quomodo n. quæso, remitteretur aqua & terra, nisi quoque inessent contraria? Minoris quoque veritas manifesta est:*

videmus

videmus n. pleraq́; mixta plurimùm terræ obtinere, quorum connexio & cohærentia aquam cum terra cõiunctam esse innuit, ut Philosophus citato loco colligit. Omitto iam eas rationes, quas alij vel ex mixtorum resolutione, vel ab analogia humorum in corpore humano, vel aliunde desumptas ad eandem thesin confirmandam afferunt, de quibus vide Hippocratem lib. de natura humana, Galenum ibid. in com. & lib. 1. de Elemen. cap. 3. Conciliator. diff. 11. Toletum lib. 2. de gener. & corrupt. quæst. 4. Piccolomineum lib. 1. de Element. cap. 4. & alios.

VI.

Cuilibet horum elementorum duæ attribuuntur qualitates alterativæ, ita ut Ignis sit calidus & siccus, Aer humidus & calidus, Aqua frigida & humida, deniq; Terra sicca & frigida.

Qualitates non sunt formæ, sed formalia principia respectu mixtionis.

Meritò per has combinationes qualitatum elementa hic describuntur: nam quamvis non consentiamus cum ijs, qui simpliciter qualitates elementorum formas esse statuunt, præsertim cum ipsæ qualitates in numero τῶν αἰσθητῶν ἰδίων contineantur, quod accidentium est: nihilominus tamen hoc loco qualitates, elementorum formalia principia vocare possumus quatenus elementa respectu mixtorum, ut sunt activa & paßiva, considerantur, quod totum opus ab ipsis qualitatibus proficiscitur, quemadmodum hoc innuit Zabarella lib. 1. de Qualitatib. Element. cap. 2. & Connimb. lib. 2. de gener. & corrupt.

ad tex. 7. Vt enim materiæ in prima notione potentia universalis, tanquam essentiale consequens, in potentia secunda verò notione essentialiter in primo modo καθ' αὑτὸ *attribuitur à Zabarella lib. 1. de materia cap. 13. ita etiam qualitates elementares diversimodè considerari possunt. Cum autem necessum sit, ut quodlibet elementum ob commodiorem rerum productionem in quodlibet agere, & à quolibet pati possit; idcirco provida natura cuilibet elemento duas qualitates concessit, ita ut elementa, vel simpliciter duabus qualitatibus alterativis, vel* κατὰ τὶ *ratione unius tantùm pugnent. Etsi verò hoc modo duæ qualitates in quolibet elemento concedantur, nihilominus tamen non negandum est, quod prior qualitas elementi sui naturam magis respiciat, quia nō æquè uni plura competere possunt, quod Philosophus innuit lib. 2. de gener. & corrupt. cap. 3. tex. 23. ubi demonstrat, quænam qualitates cum suis elementis magis connexæ sunt: his verbis:* γῆ μὲν γὰρ ξηροῦ μᾶλλον, ἢ ψυχροῦ ὕδωρ δὲ ψυχροῦ μᾶλλον. ἢ ὑγροῦ ἀὴρ δὲ ὑγροῦ μᾶλλον, ἢ θερμοῦ. πῦρ δὲ θερμοῦ μᾶλλον ἢ ξηροῦ.

Quomodò insit materiæ.

Cur quodlibet Elementum duas habeat qualitates?

Vna qualitas magis est de essentia elementi, quam altera.

VII.

Patet igitur cur Philosophus passim elementa transmutabilia statuat: omnibus enim quodammodò contrarietas inest, quæ in symbolis minor, quam in asymbolis conspicitur.

Etenim rectè Philosophus lib. 2. de gener. & corrupt. cap: 4. tex. 24. inquit: ἡ γὰρ γένεσις εἰς ἐναντία, καὶ ἐξ ἐναντίων, τὰ δὲ στοιχεῖα πάντα ἔχει ἐναντίωσιν εἰς ἀλλήλα &c. ubi tandem hoc modo concludit: ὥστε καθόλου μὲν φανερὸν, ὅτι πᾶν (στοιχεῖον) ἐκ παντὸς γίνεσθαι. Ex hoc ergo fundamento rectè statuimus, quodlibet Elementum ex quolibet fieri posse, quia omnibus contrarietas inest, non quidem ratione formarum, nam tritum & vulgatum est illud axioma: Substantiæ nihil contrarium: sed ratione qualitatum, quæ ad actionem & paßionem proximè inserviunt.

Cur quodlibet Elementum ex quolibet fiat?

Differunt autem hi transmutationis modi celeritate & tarditate, prout illa contrarietas vel maior vel minor est: ita rectè colligit Aristoteles faciliorem esse mutationem illorum elementorum, quæ una qualitate conveniunt, quam eorum, quæ utraque qualitate pugnant, unde citius ex aere, quam ex aqua generatur ignis, quia duo elementa levia una qualitate, scilicet caliditate, conveniunt. Hanc elementorum transmutationem materia prima sustinet, quæ per se considerata, omni actu propriè sic dicto, destituitur, potentiam obtinẽs ad formam quamlibet recipiendam, quàm δύναμιν privatio restringit, ut hanc & non aliam formam recipiat.

Elementa symbola citius mutantur.

Transmutationis subiectum Materia.

VIII.

Causæ transmutationum proximæ sunt primæ qualitates, quæ ut ipsis elementis sunt intimæ & essentiales, ita nõ aliunde, quam à formis elementorum, deduci possunt.

Primæ qualitates à formis Elementorũ dependent.

Videtur

Videtur enim inconveniens, accidentia propria ab externo quodam agente producere: taceo, quod formæ elementorum otiosæ & omnis operationis expertes statuerentur; si enim primæ qualitates ab elementorum formis non derivantur, quæso, quænam ab ijs deduci possunt, cum omnes reliquæ à primis suā dependentiam habeant. Hanc ob causam à Doctiss. Zabarella *discedimus, qui cum* Cardano *qualitates elementares quodammodo à cœlo deducit, non tamen eadem ratione, quod minimè placet* Scaligero *& plerisque Philosophis aliis, quia præter multa dubia, sequeretur & hoc, frigiditatem esse solùm privativam qualitatem, quod falsum & fictitium esse, non sine maximo damno milites Hannibalis intellexerunt, cum eorum aliquot millia in Alpibus frigore extinguerentur. Ergo relinquitur à formis elementorum, tanquam ab efficientibus per emanationem primas qualitates provenire; Sed vicissim aliud emergit dubium: nam cum unius cuiusq; elementi propria sit forma quæritur, an qualitates symbolæ, hoc est, caliditas in igne & aere, sint eiusdem speciei? affirmativam post Schol. Dd. meritò* Connimb. lib. 2. de gen. cap. 3. q. 6. Zabarel. lib. 2. de Qualit Elem. cap. 5. Tolet. lib. 2. de gen. q. 7. Piccol. lib. 1. de Elem. cap. 17. *& alij recipiunt, quia præter necessitatem Entia multiplicanda non sunt.*

Primæ qualitates non à cœlo deducuntur.

An qualitates symbolæ specie differant?

IX.

Sunt autem quatuor qualitates primæ, quas hoc loco nō aliter, quam per illas

Quatuor qualitates primæ.

illas operationes, quibus ad mixti productionem concurrunt, describendas esse putamus.

Nullus quidem negat qualitatum Elementarium absolutè consideratarum primas atque proprias operationes esse calefactionem, refrigerationem, exsiccationem & humectationem: veruntamen cum qualitas hoc loco non absolutè, sed respectu mixtionis consideretur, idcirco necessarium esse videtur, ut per eas operationes eandem hoc loco describamus, quæ mixtorum productionem primariò respiciunt.

X.

Quid calor in mixtione ut & reliquæ qualitates.

Ita calidum dicimus, quod congregat homogenea, & per consequens heterogenea secernit: contra frigidum cogit utrumque: Humidum verò quod alieno termino facilè terminatur; at siccum, quod proprio termino bellè cohibentur.

Officium qualitatū in mixtione.

Rectè quidem hoc modo Philosophus lib. 2. de gen. & corrupt. cap. 2. *in ordine ad mixtionem qualitates describit, quia secundum hanc considerationem principalis qualitatum operatio non est calefacere vel refrigerare &c. Sed potius congregare & terminare. Quin imò si Philosophus qualitates per calefactionem, refrigerationem & reliquas illas operationes descripsisset, datæ fuissent definitiones per operationes secundarias, quia secundum hanc*

secun-

secundariò qualitates ad mixtionem concurrunt: non enim calidum producit mixtum, quia calefacit, sed quia homogenea congregat. Consequenter notandum est, quod per τὰ ὁμογενῆ καὶ τὰ ὁμόφυλα Philosophus non tantum ea, quæ unius vel diversæ sunt speciei intelligat, sed potius illa dicit homogenea, quæ homogeneam & similem qualitatem obtinent, ita ut in unam naturā converti possint, quemadmodum contra heterogenea dicuntur, quæ in similem naturam non convertuntur. Sic in χυλώσει alimenta, quæ aptitudinem hanc habent, ut in unam substantiam chyli convertantur, homogenea sunt, quamvis sæpius specie distinguantur: contra in αἱματώσει eas chyli particulas, quæ ad iecur deferuntur non omnes homogeneas dicimus, quamvis chylus à chylo specie non differat, quia eiusmodi inest dispositio illi humori, ut ex eo non tantum sanguis, sed etiam alij humores, à sanguine distincti generentur. Quemadmodum verò calor primariò tantum versatur in congregatione homogeneorum, ita frigus indifferenter, tam ea, quæ sunt similis, quam quæ sunt dissimilis naturæ, congregat. Illud adhuc dubiū est, quomodo calor congregare & terminare possit, ubi ad rarefactionem respiciendum est: primò enim calor calefacit, deinde rarefacit, ac demum terminat, condensat & unit, vel quatenus facit ad evaporationem humidi, vel etiam quatenus humidum cum sicco terrestri commiscere potest; nam cum calor rarefacit, in causa est, ut humidum per omnes partes sese insinuet, unde sequitur terminatio. Cumq; oppositorum opposita sint proprietates per se, ideo sicuti

Quid intelligendum per homogenea.

Quomodo calor congregat homogenea.

calori competit per se rarefactio & attenuatio : ita frigori per se condensatio & terminatio attribuitur. Dubitatur autem quomodo idem effectus à duabus qualitatibus, & quomodo effectus oppositi ab uno proveniant : nam calor & frigus congregare & terminare dicuntur ; imò calori quoque rarefactio & condensatio duæ operationes contrariæ attribuuntur. Sed unica distinctio solvit omne dubium : non enim absurdum est ab uno & eodem oppositas actiones provenire posse, quarum una per se, altera per accidens eidem attribuenda est, quemadmodum hac distinctione concedendum est unam & eandem actionem à duobus, scilicet ab uno primariò, ab altero secundariò, promanare posse. Ita frigus per se refrigerat, sed ex accidenti calefacit, unde Hippocrates *rectè dicit* : Ventres hyeme & vere calidiores. *Ex dictis patet quomodo calor & frigus respectu illarum operationum, quibus mixtionem respiciunt, describantur, iam superest humidum & siccum, quæ huc pertinent, quatenus subiectum habile reddunt in mixtione, ut ex sequentibus manifestum erit.*

Quomodo idem effectus à diversis, dependeat.

XI.

Hinc etiam dividuntur hæ qualitates in activas, ut sunt calor & frigus, atque passivas, ut sunt humiditas & siccitas.

Quomodo primæ qualitates sint

Nota quod primæ qualitates potissimùm dupliciter considerari possint ; vel in ordine ad primas suas operationes, ita omnes sunt activæ & passivæ, quod tam

tam in simplicibus, quam in mixtis corporibus verum est, quia frigiditas in caliditatem, & siccitas in humiditatem agere potest, quod ex Elementorum generatione manifestum est, ubi unumquodque ex altero fieri posse statuimus: vel in ordine ad posteriores operationes, quibus ad mixti productionem cõcurrunt, quo modo duæ sunt activæ, & duæ paßivæ, quod Philosophus lib. 2. de gen. cap. 2. innuit: Nam cum in misti productione humiditas & siccitas materiam actioni caloris & frigoris obedientem reddant hinc illæ qualitates paßivæ, hæ activæ dictæ sunt Philosophis, de quo vide Zabarellam lib. 1. de Elem. qual. cap. 5. Connimb. lib. 2. de gen. cap. 3. q. 3. Tolet. ibid. q. 3. & alios. *activæ & paßivæ*

XII.

Per has qualitates perficitur etiam elementorum mixtio, quam Philosophus τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσιν dicit. *Quid mixtio.*

Notandum hoc loco, quod mistionis vocabulum non in lata sua significatione sit accipiendum, quo pacto misceri dicuntur illa, quæ alijs accumulantur, sive hoc partium appositione, vel earundem confusione fiat? sed potius strictè pro mistibilium alteratorũ unione illud accipimus, quatenus scilicet per mistionem unum quid, non per accidens, sed per se, constituitur. Quis igitur non intelligit ipsa mistibilia sub actu suo perfecto remanere non posse? quomodo enim plura actu completo subsistentia unum per se constituent? Mistibilia verò sunt ea, quæ in se invicem agere *Quomodo fiat mixtio.*

& à se invicem pati possunt, quod de Elementis primò dicitur, ubi enim quatuor elementa viribus quodammodo paria concurrunt propter communem materiam & contrariarum qualitatum pugnam ita se mutuo refringūt & contundunt ut contemperatis eorum actibus ad medium quoddam redacta novam speciem constituant. Non igitur opinio Avicennæ suscipienda est, qui formas elementorū in mistis integras remanere putabat, *quia sic mistum non unum per se, sed ex accidenti, per aggregationem scilicet diceretur. Nec etiam* Scotus & Scotistæ nervum attingunt, dum formas elementorum omnino interire dicunt cum suis qualitatibus: *quomodo enim, quæso, elementa corrupta unirentur? quæ ratio militat etiam contra* Thomam, Ægidium, Marsilium. Connimbricenses, Conciliatorem, Toletū, *& alios, qui in priori cum Scoto consentiunt. Ergo relinquitur* Averrois opinio, qui formas elementorum, actu remanere dicit in mixtis, sed imperfectè, *quemadmodum qualitates etiam remissiori gradu remanent, quam sententiam Doctissimus* Zabarella *recipit lib. de Mist. Quamvis autem realiter elementares formæ supersint in mixtis, non tamen formalitates suas retinent, sed unam misti formam, de qua postea, constituunt: unde* Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 2. q. 1. ſ. 1. non putamus, elementa manere formaliter in mixtis, aut etiam mistum inanimatum in re animata &c. *Rectè igitur à Philosopho mixtionis definitio constituta fuit, quod sit mistibilium alteratorum*

Contra Avicennam.

Contra Scotum.

Contra Thomam.

Sententia vera.

torum unio: ipsa enim mistibilia, nimirum elementa non omnino corrupta, sed quodammodo mutata, uniuntur in mixtione. Hinc patet, quid sentiendum de acutissimi Scaligeri *subtilitate, qui, nescio quid, in hac Aristotelica definitione reprehendit, & aliam introducit: quæ tamen magis alterationi præcedenti, quam ipsi mixtioni convenire videtur.* *Contra Scaligerū.*

XIII.

Ita Elementa ad mixti constitutionem concurrunt, unde mixtio & misti generatio non re, sed ratione distinguuntur.

Quod mistio & misti generatio nullo modo distinguantur, Thomas Erastus *firmiter statuit, siquidem unum sine altero ne imaginari quidem possumus; huic è diametro repugnat* Mercenarius *qui non tantum ratione, sed etiam realiter mistionem & misti generationem distinguere conatur. Vt autem in Logicis, utrisq; contrariis enunciationibus falsis, intermediæ veræ esse possunt; ita etiam hoc loco cum* Zabarella lib. *1.* de misti gen. & Conn. lib. 1. de gener. c. 10. q. *2. mediam sententiam statuimus, scilicet non realiter, sed ratione tātum differre mixtionem à misti generatione: quod inde patet, quia una & eadem species est mutationis, qua mixtum generatur & qua Elementa miscentur, quæ dicitur mixtio quatenus Elementorum unionem respicimus, dicitur etiam mixti generatio, respectu formæ mixti, quæ producitur: unde manifestum est, quod in hac mutatione ipsa Elementa sint* *Mistio & Misti generatio non re differūt.*

quasi terminus à quo, mixtum verò tanquam terminus ad quem, ideoq; vox mistionis elementum respicit; generationis autem vocabulum magis mixta denotat.

XIV.

Mistioni opponitur putredo.

Quemadmodum verò per mixtionẽ corpus mixtum producitur, ita per putredinem mixtioni oppositam, illud ipsum vicissim naturaliter corrumpitur.

Putredo quid.

Vt enim ex unione qualitatum passivarum humidi & sicci à calore proportionato fit misti productio, ita etiam teste Zabar. l. 2. de mist. gen. c. 1. *calore recedente à naturali statu, sequitur separatio humidi à sicco, ipsiusq; mixti destructio, unde Philosophus lib. 4. Meteor cap. 1. hoc modo definit putredinem*: σῆψις δ' ἐστὶ φθορὰ τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος, ὑπὸ ἀλλοτρίας θερμότητος: αὕτη δ' ἐστὶν ἡ τοῦ περιέχοντος. *Pro subiecto putredinis proximo, humidum agnoscitur, quo enim res siccior, eo minus putrescit, pro genere ponitur corruptio proprij caloris: & deniq; pro causa constituitur calor ambientis, qui nativi caloris statum mutare potest.* Et *hæc est illa mutatio, qua mixtum naturaliter vicissim interire solet: iam sequitur, ut ea consideremus, quæ mixtionem in genere consequuntur.*

XV.

Forma mixti.

Mistionis terminus ad quem primarius

est

est forma misti, quam non aliunde, quàm ex formis Elementorum conjugatis, provenire dicimus.

Cum hactenus determinatum sit. Formas Elementorum in mixtione, non penitus interire, sed easdem cum qualitatibus in mixto quodammodo remanere: quæritur, an forma quædam nova ex ipsa misti productione resultet, quod omnino affirmandũ esse videtur: quomodo enim absque forma peculiari, nova species corporum naturalium introduceretur? quomodo mixtum ab Elementis distingueretur? Non tamen talis statuitur, quæ à formis Elementorum realiter distincta sit: ita ut formæ, ex Elementorum coniugatione resultanti, superaddita videatur, quod Zimaræ *placuit: quia sequeretur alias in uno misto inanimato, diversos esse motus naturales: quemadmodum hoc patet in rebus animatis, ubi alius motus ratione formæ mistionis, alius etiam ratione animæ, quæ revera est forma superaddita, deprehenditur. Ergo nullam aliam formam misti agnoscimus, quam illam, quæ ex Elementorum formis in mixtione coniugatis resultat: hæc ab Elementorum formis omnibus simul sumptis, ut sunt in mixto, non differt realiter, quia hæ non amplius suas obtinent formalitates, sed amico congressu unam mixti formam constituunt, per quam mixtum unum substantiale dicitur. Ex his patet, quod forma misti, tanquã æthereum & cæleste quiddam propriè loquendo non poßit à cœlo deduci, quod* Fernelio *placuisse videtur, cum Entia præter neceßitatem in natura non sint multiplicanda,*

Unde sit forma mixti.

XVI.

Tempera-mentum quid.

Post misti formam, tanquam Essentiale consequens, Temperamentum sese offert, quod ex primis qualitatibus contemperatis oritur.

Inter ea, quæ mixtionem Essentialiter in secundo modo καθ' ἀυτὸ sequuntur, est etiam Temperamentum, de cuius genere controvertitur apud autores. Quidam enim ex autoritate Galeni, *quam ex 1. de usu partium, aliisq; locis adducunt, statuere conantur Temperamentum esse substantiam, sed contra* Galeni *mentem, qui optimè intellexit temperamentum, nec materiam, nec formam, nec compositum esse, & per consequens nunquam substantiam vocari posse. Nec obstat, quod verba sæpius idem significare videantur; ut enim Medicus artifex sensitivus est, ita sæpius utitur iis, quæ magis in sensus incurrunt, ad significanda ea, quæ magis latent. Non igitur temperamentum substantiæ, sed accidens, & potissimum qualitas est, quæ in mixtione, ex unione primarium qualitatum resultat, unde manifestum est; quod primæ qualitates summæ in mixtis remanere nequeant, quia alias uniri non possent, ut rectè contrà* Fernel. lib. 3. Medic. cap. 1. & Jobert. *1.* decad. parad. 8. concludit Salust. Salvian. lib. 3. de remed. cap. 3.

XVII.

Tempera

Temperamentum est duplex, Temperatum & Intemperatum: illud in reliquo-

liquorum medio eſt, diciturq́, Temperamentum εὔκρατον καὶ σύμμετρον vel ἁπλῶς, vel κατά τι. *Temperamentorum diverſitas.*

Temperamentum εὔκρατον ἁπλῶς *illud dicitur, quod ex æquâ Elementorum eorumq; virium portione iudicatur, unde communiter alias Temperamentum ad pondus vocari ſolet à Medicis. Quod vero alterum attinet illud* εὔκρατον κατά τι *dicitur, quia in eo talis reperitur mediocritas quæ eius generis mixto, cuius eſt, optimè convenit, unde cõmuniter temperamentum ad iuſtitiam temperatum vocari ſolet, quod ex* Galeno lib. 2. de temperament. c.1. Fernel. lib. 3. cap. 4. Riolano ibidem & alijs pluribus manifeſtum eſt.

XVIII

Temperamentum intemperatum vel ſimplex eſt, vel compoſitum: in illo unica, in hoc verò duæ qualitates excedunt.

Intemperatum & difforme temperamentum illud eſt, in quo primæ qualitates ab æquilibrio in diverſam latitudinem & exuperantiam recedunt, quod vel ratione unius qualitatis fieri poteſt, ubi ſimplex temperamentum intemperatum oritur, aut calidum aut frigidum, aut humidum aut ſiccum: vel ratione utriusq; qualitatis, unde quatuor temperamenta compoſita pro ratione quatuor combinationum, quæ qualitatibus accidere poſſunt, oriuntur. De hac diverſitate temperamentorum vide Gal.

lib. 1.

lib. 1. de Temperam. Valeſ. lib. 1. controv. cap. 7. Fernelium lib. 3. Med. Conn. lib. 2. de gener. & corrupt. cap. 8. quæſt. 1. art. 2. & *alios multos. Colophonidis loco hoc addimus, quod ad has temperamentorum varietates qualitates ſecundariæ, ut ſunt durum, molle, aſperum, &c. item ſapor, odor & alia eiusdem generis ratione ſuæ originis merito referantur, quia & hæ qualitates mixtorum naturam in genere conſequuntur.*

Tantum de mixtis in genere proponere voluimus.

Gregorii Horſtii D.

EXERCITATIO

De

ANIMÆ FACULTATIBUS

In qua breviter animæ facultatum & operationum diverſitas monſtratur.

Publicè VVittebergæ Anno M. DC. III. die 14. Maij propoſita,

RESPONDENTE

Paulo Claus, Viennenſi Auſtriaco.

Theſis

THESIS PRIMA.

INTER illa, quæ homini in hoc mundo post æternæ salutis curam potissimum consideranda proponuntur, doctrina de facultatibus animæ comprehenditur, cujus cognitio dignitatis & necessitatis gratiâ ab omnibus meritò expetitur.

Verissimum enim est, quod Philosophus dicit. (lib. 1. Metaph. c. 1. πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει, *hoc est, omnes homines scire desiderant naturaliter: nam* δύναμις *ad* ἐντελέχειαν *tanquam inperfectum ad perfectum naturaliter tendit*; (Arist. lib. 1. Phys. tex. 81.) *ita etiam intellectus potentiam à Deo opt. max. sibi concessam rerum cognitione ad actum traducere conatur. Vnde* Cicero *sapientiæ & cognitionis amorem omnibus hominibus ingenitum esse passim* (lib. 5. de finibus lib. Tuscal. quæst. & alibi) *innuit. In his autem, quorum cognitio expetitur, maximè eminet doctrina de Anima, præsertim cum hujus scientia non solum iucunda & homine digna, sed etiam utilis ac pernecessaria videatur: unde Philosophus* (lib. 1. de an. c. 1.) δοκεῖ δὲ πρὸς ἀλήθειαν ἅπασαν ἡ γνῶσις αὐτῆς (ψυχῆς) μεγάλα συμβάλλεσθαι, *hoc est, videtur autem ad omnem veritatem cognitio ipsius animæ magnopere conferre.* *Doctrina de anima cognitione digna.*

II.

Hanc doctrinam in præsentia dupliciter considerabimus Philosophicè & Medicè:

Animam una cum suis facultatibus considera-tam in Philosophiæ propriæ sic dictæ terminis contineri nemo negat, cum anima sit ἡ ἀρχὴ τῶν ζώων *principium viventium, teste Philosopho citato loco, unde sub definitione naturæ ab Aristotele* (lib. 2. Phys. tex. 3.) *tradita comprehenditur.* (Aff. Zabar. lib. de Natur. cap. 4. Perer. l. 7. Phys. c. 11 Dissentit Simplicius lib. 2. Phys. c. 1. tex. 1. & 3. Albert, ibid. tract. 1. cap. 2. & alij.) *Ergo subiectum Philosophiæ naturalis, quod rectissimè corpus naturale statuitur,* (Ex mente Arist. lib. 5. Metaph. cap. 1. Albert. in init Phys. cap. 3. Avic. 1. suff. Zab. de const. Phys. cap. 2. Perer. l. 2. Phys. cap. 3. Dissentiunt Thom. in proœm. phys. Iav. 1. phys. q. 1. Conn. in proœ phys. q. 4. Sava. in Epit. phys. lib. 7. concl. 7. Toletus in prol. Phys. Scotus & Scotistæ) *suis limitibus animam eiusq; facultates includit; & hoc modo Phylosophica* τῶν δυνάμεων τῆς ψυχῆς *facultatum vel potentiarum animæ consideratio oritur, cuius finis ultimus est sola cognitio. Verum præter hanc principalem facultatū animæ tractationem aliæ quoq; dantur, in quibus cognitio non sui tantum causa, sed alterius gratia expetitur, ubi præter cæteras consideratio Medica sese offert: de qua postea.*

Anima est natura.

Subiectum Physicæ.

Animæ consideratio duplex.

III.

Præsupponimus autem animam secundum essentiam in genere consideratam esse ἐντελέχειαν πρώτην σώματος φυσικοῦ ζω[ὴν] ἔχον[τος]

ὴν ἔχοντος δυνάμει. Actum ſcilicet corpo- *Quid ſit*
ris naturalis potentia vitam habenris. (A- *anima.*
riſt. lib. 2. de an. cap. 1. tex. *6.*)

Cum enim de facultatibus animæ acturi ſimus neceſſariò ſequitur, ut præſupponamus quidnam ſit anima, utpotè cum de animæ eſſentia opiniones ſatis abſurdæ à pluribus ſint introductæ. (Vide Ariſtot. lib. 1. de an. cap. 2. ad fin. & Cic. l. *1.* *Animæ eſ-*
Tuſculan.) *Ergo veritatem indagare conabimur, ſentia in-*
ubi primum animam in ſubſtantiarum claſſe conti- quiritur.
neri palam aſſerimus, quod ab aliis ſufficiēter confirmatur,(Iavel. l. *2.* de an. quæſt. 1. Connimb. lib. *2.* de an. c. *1.*) *à Philoſopho autem tanquam certum præſupponitur.* (l. *2.* de an. cap. *1.*) *Triplex verò potiſſimum reſpectu præſentis inſtituti eſt acceptio ſubſtantiæ : vel enim de forma, vel de materia, vel de compoſito dicitur.* (ibid. tex. *2.*) *Primo modo animam ſubſtantiam cum Philoſopho* (ibid. tex. 2) *dicimus, quia reliquæ ſubſtantiæ acceptiones eidem minimè attribui poſſunt* ἀναγκαῖον ἄρα τὴν ψυχὴν οὐσίαν εἶναι ὡς εἶδος σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος. ἡ δὲ οὐσία ἐντελέχεια. *Neceſſe eſt igitur animam eſſe ſubſtantiam tanquam formam corporis naturalis poteſtate vitam habentis : hæc autem ſubſtantia eſt actus. Vnde anima rectiſſimè dicitur actus & perfectio, quemadmodum dextrè vox illa vertitur.* (Vide interpretes Ariſtotelis cōtra Cic. lib. 1. quæſt. Tuſc. Politian: in Miſcel. cap. 1.) *Additur* ἐντελέχεια πρώτη , *actus primus propter duplicem actum primum & ſecundum, quo-*

rum ille formis omnibus primariò attribuitur, hic verò operationem magis respicit, ut indicat Philosophus inquiens: (lib. 2. de an. t. 5) ἐντελέχεια λέγεται διχῶς· ἡ μὲν ὡς ἐπιστήμη, ἡ δὲ ὡς τὸ θεωρεῖν: actus dupliciter dicitur, partim scilicet ut scientia, partim ut contẽplari. Consequens est igitur animam in sua natura generaliter consideratam esse formam, qua eiusdem communis essentia intellectui offertur. Propria τῆς ψυχῆς natura ex sequentibus verbis oppidò colligitur, ubi Philosophus determinat, quale sit illud corpus, ꝙ ab anima informatur. Vnde concludimus animam à Philosopho rectissimè definiri, quicquid dicant alij, ut sunt Proclus in Timæum Avicen. 6. Nat. quæst. &. alij.) qui hac in parte Philosopho sese opponunt.

Anima est forma.

IV.

Facultas animæ quid

Ab hac animæ essentia facultas eiusdem profluit, quæ nihil aliud est, quam aptitudo animæ, qua ad operandũ habilis redditur.

Duo sunt præcipuè, quæ in essentiali rerum declaratione consideranda veniunt: cum alijs convenientia, & ab alijs discrepantia; illa communem, hæc propriam essentiam; illa Logicis genus, hæc differentiam specificam constituit. (Vide Fonsecam l. 5. Instit. Log. cap. 5.) Ergo declarationem facultatum animæ ab essentiæ communis investigatione ordimur, quæ cum propria essentia postea totam earum naturam oculis subijciet. Cumq́ue præter substantiam & Accidens nihil detur, ideò primò colligimus animæ facultatem in accidentium numero contineri, propterea quod alij insit, ut accidentia.

Non

Non autem sufficit genus summum, sed proximum requiritur, ubi δύναμιν τῆς ψυχῆς *dicimus esse qualitatem secundæ speciei, scilicet naturalem aptitudinem: in anima enim præter affectus, potentias & habitus nihil datur. (Vide Arist. lib. 2 Ethic. Nicom: cap. 5.) Atqui primum & tertium de facultate animæ dici nequit, Ergo secundum relinquitur. Unde luce meridiana clarius est animæ facultatem non esse ipsam animæ substantiam, ut voluerunt quidam:* (Occam d. 16. q. 14. 26 Wiel. ibid. q. 1 Marsilius lib. 1. q. 7. ar. 3. aliiq; Nominales, à quibus non admodum abludere videtur Marc. li. 3. de an. c. 75. Picc. lib. 1. de Materia c. 10. lib. de visu cap. 19. & alibi.) *Ideoq; tandē relinquitur facultatem ab animæ essentia realiter esse distinctam, ita ut sit peculiaris quædam vis, qua ad operandam, ut diximus, apta redditur anima, ut Philosophi plurimi constanter asserunt.* vide Gal. 1. de Nat. fac. c. 4. Thom. 1. par. q. 77. ar. 1. Aeg. quodl. 3. q. 10. Albert. lib 2. de an. tract. 1. cap. 11 Jandun. lib. 2. de an. q. 9. Conn. lib. 2. de an. cap. 3. q 3. & 4. Tolet. lib. 2. de an. q. 9. Fernel. lib. 5. Physiol. c 2. Zab. lib de facult. an. cap. 4.

An anima differat à suis facultatibus.

V.

Quemadmodum verò δύναμις τῆς ψυχῆς in respectu ad operationē definitur, ita etiā una facultas ab altera hoc modo distinguitur, quatenus obiectorū atq; actuū diversitatem admittere possunt, unde Philos. lib. 2. de an. c. 3. tex. 27, δυνάμεις δὲ εἴπομεν θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν, ὀρεκτικὸν, κινητικὸν κα-

Distinctio facultatum.

τὰ τόπον, διανοητικὸν, hoc eſt: Facultates autem diximus nutritivum, ſenſitivum, appetitivum, motivum ſecundum locum & intellectivum.

Facultates diſtinguntur per actus & obiecta.

Quamvis omnes animæ facultates originaliter ab anima dependeant inſtar propriorum accidentium, ita ut cum anima ſint in toto corpore: nihilominus quatenus certum reſpectum ad operationem obtinent, eatenus à ſe invicem per actus & obiecta diſtinguuntur: ut enim aliud eſt τὸ αἰσθητὸν, *ſenſibile, aliud* τὸ νοητὸν, *intelligibile, aliud ſentire, aliud intelligere &c. ita ipſæ facultates his operationibus inſervietes à ſe invicem meritò diſtinguntur, ut ferè omnes Philoſophi ſtatuunt.* Vide Thom. 1. par. q. 77. Conn. lib. 2. de an. cap. 3. q. 3. Tolet. ibidem q. 8. *& reliquos interpretes.*

VI.

Vegetativa facultas.

Facultas Vegetativa, quam Philoſophus per τὸ θρεπτικὸν intelligit, eſt illa, ἧς ἐστὶν ἔργα γεννῆσαι καὶ τροφῇ χρήσασθαι, cuius opera ſunt generare & alimento uti, ut inquit Philoſophus: unde ſub ſe nutritivam, augmentativam, & generativam comprehendit.

A facultate vegetativa in ſpecie initium facimus: ἡ γὰρ θρεπτικὴ ψυχὴ καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει· καὶ πρώτη καὶ κοινοτάτη δύναμις ἐστὶ ψυχῆς, καθ' ἣν ὑπάρχει τὸ ζῆν ἅπασιν: *Nam anima nutritiva etiam alijs ineſt, atq; eſt prima & maximè communis facultas animæ, ſecundum quam omnibus vivere ineſt: teſte Philoſopho. Includit autem, ut diximus*

ximus, tres potentias à se invicem realiter distin-ctas, quibus vivens nutritur, augetur & simile generat. Vt enim alia est ratio alimenti ut auget; alia ut nutrit; Imo ut nutritio non est augmentatio, ita meritò augmentativa facultas à nutritiva distinguitur. (Caieta. lib. 2. de. an. ad. t. 5. Jandun. ibi. q. 13. Iave. ibid. q. 18. Alber. 2. par. sum. de homine q. de mot. nutri. ar. 3. Tho. 1. par. q. 78. ar. 2. & q. 70. ar. 7. Zabarel. lib. de Accretione c. 25. Dissentit Durand. 1. d. 3. p. q. 2. Philopon. 2. de an. tex. 46. Niphus ibid. ad tex. 42. Valles. l. 2. controv. cap. 20. Conn. lib. 2. de an. cap. 4 quæst. 1. ar. 2.) *Eodem modo generativa & nutritiva facultates distinctæ ponuntur, quod eadem ratione ex obiectorum atq; actuum diversitate probant plurimi.* (Vide Thom. cit. l. Tolet. 2. de an. q. 10. Fernel. lib. 5. Phys. cap. 3. Zab. de facult. an. cap. 10. Contra Durand. cit. loc. Valles. lib. 2. Controv. c. 19. Conn. lib. 3. de an. c. 4. q. 1.) *His tribus præcipuis facultatibus aliæ minus principales quatuor inserviũt, ut sunt Attractrix, Retentrix, Alteratrix & Expultrix, de quibus vide Galenum* (lib. 5. de locis Aff. cap. 7.) *à quo dissentit Averroes* (lib. 2. collig. c. 7. & 9. Item. lib. 3. Collig. cap. 16.) *Ex hac ratione corpus vivens ad tempus in individuo per nutritionẽ conservatur, ad determinatam quantitatem augetur, & deniq; sibi simile in specie per generationem producere nititur. Dico ad tempus: quia principia vitæ semper deteriora redduntur, cũ illud, quod restituitur plurimum differat ab eo, quod alteratione cõ-*

An vegetativæ facultatis potentia differunt?

Minus principales facultates.

Tandem moriendũ.

tinua absumitur. (Vide Galenum lib. de Marasmo Conciliator. diff. *113.* Vallesium lib. *6.* controv. c. 1. Turisanum in arte parva. &c.).

VII.

Facultas sensitiva.

Sequitur τὸ αἰσθητικὸν, intellige facultatem sensitivam, cuius beneficio animal per certum corporis instrumentum τὰ αἰσθητὰ percipit atque dijudicat.

Hæc multo præstantior præcedente: ut enim magnus naturæ gradus est, dum à vitæ expertibus ad viventia ascendimus, ita longe maior & admirabilior ille nobis videtur, cum à non cognoscentibus ad cognoscentia elevamur. (vide Pet. Duodum lib. 5. de an. c. *1.*) *Duo autem potißimum hoc loco consideranda veniunt* αἴσθησις καὶ αἰσθητὸν *sensus & obiectum sensibile. Illum alterationem quandam dicit Philosophus* (l. 2 de an. tex. 58.) *non quidem corruptivam, quæ* μεταβολὴ ἐπὶ τὰς στερητικὰς διαθέσεις *vocatur, sed potius perfectivam* ἐπὶ τὰς ἕξεις καὶ τὴν φύσιν. *Accidit enim hæc alteratio, quando obiectum sensibile per organum recipitur atque diiudicatur, unde manifestum est, quod sensus diversa ratione tam activa quam paßiva potentia dici soleat.*

Quid sensus.

Quid obiectum sensibile.

(Vide Conn. lib. 2. de an. c. *6.* q. *1.* Zabar. de. sen. ag. c. 9. Toletum. 2 de an. c. *6.* Duodum lib. *5.* cap. *12.* &c lib. 2 de an. tex. *63*) *Quod obiectum sive* τὸ αἰσθητὸν *attinet, illud vel proprium vel commune; vel ex accidēti sic dicitur.*

Sensibile proprium.

Proprium hoc modo describit Philosophus: λέγω δὲ ἴδιον ὃ μὴ ἐνδέχεται ἑτέρᾳ αἰσθήσει αἰσθάνεσθαι

καὶ,

καὶ περὶ ὃ μὴ ἐνδέχεται ἀπατηθῆναι. h. e. *proprium appello, quod non potest alio sensu sentiri, & circa, quod non contingit decipi, positis scilicet requisitis necessarijs*(vide Toletum lib. 2. de an. q. 13. Connim ibid. c. 6. q. 6. Albert. 2. de an. tract. 3 c. 5. Savanorol. lib. 11. Epito. Concl. 6. Duodum lib. 5. de an. cap. 5. *Contra Epicureos & Academicos*) *huc pertinent color, sonus, odor, sapor &* τὸ ἁπτὸν, *quæ sensibus externis, scilicet visui, auditui, odoratui, gustui & tactui respondent.*

Commune sensibile per se quidem sentitur, non tamen huic aut illi sensui propriè asscribi potest, unde Philosophus: (lib 2. de an. tex. 64.) κοινὰ δὲ *scilicet* αἰσθητὰ, κίνησις, ἠρεμία, ἀριθμὸς, σχῆμα, μέγεθος: *propria sensibilia sunt, motus, quies, numerus, figura, magnitudo.* Sensibile commune.

Porro τὸ αἰσθητὸν κατὰ συμβεβηκὸς *illud vocatur, quod per se nullo modo sentire potest: dicitur autē sensibile, quia coniungitur cum illo, quod sub sensum cadit. Tot modis* τὸ αἰσθητὸν *dici solet, quod cū non secundum realem existentiam per facultatem sensitivam recipiatur, ideo species sensibilis introducta est, quæ sensorio oblata facultatem movet, ipsumq; obiectum repræsentat:* (vide post Arist. Conim. lib. 2. de an. c. 6. q 2. ar. 3. Tolecū lib. 2. de an. q. 34. Scaliger. Exerc. 298. s. 18 *ante Philosophus*) l. 2. de an. t. 121.) καθόλου δὲ περὶ πάσης αἰσθήσεως δεῖ λαβεῖν, ὅτι ἡ μὲν αἴσθησις ἐστι τὸ δεκτικὸν τῶν αἰσθητικῶν εἰδῶν ἄνευ τῆς ὕλης: οἷον ὁ κηρὸς τοῦ δακτυλίου, ἄνευ τοῦ σιδήρου καὶ τοῦ χρυσοῦ: *hoc est:*

Sensibile ex accidenti.

Species sensibilis.

Dari speciē sensibilem. *Universaliter autem de omni sensu oportet sumere, sensum esse id, quod est capax sensibilium specierum sine materia, ut cera recipit signum annuli sine ferro & auro. Præterea cum animal non tantū præsentia, sed etiā absentia percipiat obiecta; imò cum animal se sentire sentiat, necessariò sequitur præter externos enumeratos sensus internos quoque dari, quorum communiter tres enumerantur, ut sunt sensus communis, Phantasia, & Memoria.* (Vide Fonsecam lib. 5. Metaph. cap. 28. q. 7. s. 4. Con. lib. 3. de an. cap. 3. q. 1. ar. 3. Piccol. l. de sens. inter. c. 16. Zabarel de facult. an. c. 12. & alios, quibus Dissentiunt Thomas. 1. par. q. 78. ar. 4. Aver. 3. de an. com. 6. Avicen. 6. Natur. par. 4. Albert. 2. de an. tract. 4 c. 7. &c.)

VIII.

Facultas appetitiva. Cum facultate sensitiva coniungitur appetitiva, per quam animal ad bonum à sensibus monstratum inclinat & malum eodem modo cognitum fugit.

Ubi τὸ αἰσθητικὸν ibi τὸ ὀρεκτικὸν inquit Philosophus lib. 2. de an. tex. 27. *non tamen unam eandemq; Facultatem constituunt: aliud enim est τὸ αἰσθητὸν, aliud ὀρεκτὸν; aliud etiam ἡ αἴσθησις, aliud ἡ ὄρεξις.* *Distinctio appetitus.* *Notandum tamen, quod appetitus animalis ipse in ἐπιθυμητικὸν καὶ θυμικὸν distinguatur: illo animal ad delectabilia bona fertur, & mala fugit; hoc verò circa illud bonū versatur, quod sine difficultate quadam adipisci minimè potest. Hæc facultas in homine non omnino*

bruta

bruta est, sed rationi subiacet, eidemque obtemperare nata est, unde actiones honestæ prodire solent.

IX.

Ab hac appetitiva facultate quodammodo κινητικὸν κατὰ τόπον locomotiva scilicet, dependet, per quam *Animal* motu animali de loco ad locum vel secundum totum, vel secundum partes movetur. *Facultas locomotiva.*

Ad actum huius Facultatis tria requirit Philosophus (lib.3.de an. cap.11.tex.54.) ἓν μὲν, τὸ κινοῦν· δεύτερον δὲ ᾧ κινεῖ· καὶ ἔτι τρίτον τὸ κινούμενον, *hoc est, unum quod movet, alterum, quo movet, & præterea tertium, quod movetur. Quod movet vel obtinet rationem finis, ut* τὸ ὀρεκτὸν, *vel obtinet rationem efficientis, ut* τὸ ὀρεκτικὸν. *Quod movetur est animal, cui hic motus secundum naturam convenit, teste Philosopho 8. Phys. nam totum animal tali motu naturaliter moveri dicitur, quamvis respectu corporis solùm hic motus quodammodo violentus videri poßit, ut doctè differit Picolomineus*(lib. de motu an. cap. 29.) *Deniq; quo movetur est instrumentum, ubi inter cæteras partes sese offerunt, musculi, qui ita à natura sunt conformati, ut motui optimè inservire poßint, quod rectè statuunt plurimi.* (vide Gal.12.de Usu par. c.3. Vesal. lib.2. fab. cap. 2. Connim. in fine tertij de an. Tolet. ibid. q. 25. Albertum tract. 4. de an. &c.

X.

Superest τὸ διανοητικὸν, facultas scilicet

rationalis, soli homini concessa, quæ duas potentias præstantissimas Intellectum & voluntatem includit.

Per animā rationalem homo differt ab aliis.

Hæ duæ facultates sunt notæ ex quibus hominem à brutis & aliis rebus omnibus per formam propriam per animam scilicet rationalem differre colligimus. (Vide Thomam, 1. par. q. 76. ar. 1. Tolet. lib. 2. de an. q. 2. Perer. lib. 6. Phys. cap. 12. Zab. de mente hum. cap. 6. Connimb. 2. de an. c. 1. q. 6. &c. Dissentit *Averr.* & *Averroistæ*: inter recentiores dubitat Casmãnus in princ. ψυχολογ.)

Quid intellectus.

Intellectus naturam Philosophus lib. 3. de an. cap. 4. ex ipsius operatione colligit, ubi tandem concludit, eundem esse in potentia ad omnes res intelligibiles, dicens: δεῖ δ' οὕτως ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον. *Sic autem oportet; ut in codice in quo nihil actu scriptum est.*

Quotuplex intellectus.

Sed cum omni in potentia existenti aliquid in actu respondeat, idcirco consequens est non de omni intellectu hoc accipiendum esse, unde distinctio in intellectum agentem & patientem nascitur, quorũ hic νοῦς παθητικὸς *omnia intelligibilia recipit, ille vero intelligibilia potentia talia reddit actu* (Vide *Aristot.* lib. 3. de an. cap. 5. & ibid. Interpret. Scalig. Exer. 307. f. 19.)

Quid intelligibile.

Quid autem sit illud quod ab intellectu recipitur, controversum est: in genere τὸ νοητὸν, *intelligibile sese offert, quod tam singularia, quã universalia comprehendit.* (vide Fonsecam lib. 1. Metaph. c. 2. q. 3 Zabarel. de ordine intellig. cap. 13. Pererium lib. 3. Phys. cap. 17. & seq. Contra plures

Averroiſtas.) Cum verò intellectus cum re intelligibili uniri debeat, ideo ſpecies intelligibilis introducta eſt, per quam intellectus ſuum obiectum percipit, & ita verum eſt intellectum omnia quodammodo fieri poſſe, quod innuit Philoſophus. Reſtat voluntas cuius beneficio quædam ab intellectu cognita ſub ratione boni vel mali fugimus aut proſequimur. Huius operatio primaria βούλησις *dicitur, quæ in velle & nolle conſiſtit; ad hanc cum non ſemper recta feratur homo, idcirco præter illam conſiderantur etiam* βούλευσις καὶ προαίρεσις: *illa deliberamus de medijs ad finem ducentibus, hac media adæquata eligimus. Et hæc eſt Philoſophica facultatum animæ conſideratio, iam pauciſſimis Medica ſequitur.* *Species intelligibilis.* *Quid voluntas.*

XI.

Medici Facultates animæ in naturalem, vitalem & animalem diſtinguunt.

Vt medicus non demonſtrationis ſed operationis ſubiectum habet, ita in omnibus philoſophicam ἀκρίβειαν *adhibere minimè poteſt, præſertim cum omnia ſui finis gratia proponat: Eſt autem ſubiectum Medicinæ Corpus humanum, quatenus ſanabile.* (Galen. lib. 2. de Criſ. c. 9. Avicen. lib. 1. fen. 1. doct. 1. c. 2. Fern. in proœm. Medic. Fuch. in princ. Inſt. Bertin in princ. Medicin. &c.) *cuius* διαθέσεις *ſecundū naturam & præternaturam Medicus neceſſariò cognoſcere debet, ut ſanitatem præſentem conſervare & abſentem reſtituere poßit: hæc verò colligitur ex adæquata partium moderatione, tam ſimilarium temperie & dißimilarium conformatione,* *Subiectum Medicinæ.*

quam

quam earundem unione. Galen de diff. mor. c. 1. lib. 1. Meth. med. cap. 7. lib. 5. de placitis Hipp. & Platon. lib. artis med. cap. 8. lib. *1.* de tuend. sanit. cap. *4.*) *quæ omnia ex operationibus partium intelliguntur; operationes autem à facultatibus dependent, ubi Medicus tandem ad facultatum considerationem accedere cogitur. Eligit autem hoc loco dictam illam divisionem, quia tantum considerat facultates organicas in respectu ad partes, quæ ijsdem inserviunt, unde ex numero principalium partium, quæ his facultatibus primariò præsunt, assertionē suam deducit, quatenus hæ faultates per tria membra præcipua suas operationes perficientes totum regunt atque gubernant.* (vide *A*ristotel. 3. de partibus an. cap. *4.* Galen. de præsag. cap. *37.* lib. 9. Meth. Med. cap. *10.* Con. l *1.* de gen. cap. *5.* q. *1.* & lib. de vita & morte cap. *7.*)

Cur Medicus tantum tres facultates numeret?

XII.

Naturalis facultas illa dicitur, cuius beneficio nutrimur, augemur & generamus, unde cum facultate vegetativa supra declarata coincidit.

Naturalis facultas.

Hanc Medici in iecore statuunt, non quod reliquis partibus denegetur, utpote cum omnes facultates in quavis parte sint originaliter; Sed eam ob causam, quia iecur est officina sanguinis (vide Galenum lib. 4. de Vsu part. lib. *2.* de Natural. facult. lib. de diff. morb. lib. 2. de aliment. facult. Contra *A*verroem, Conciliatorem, Jobertum,

Cur in iecore.

Jobertum, Argenterium & alios.) *& hoc modo operationibus huius facultatis maximè praeest.* (vide Platonem in Timæo. Conn. lib. *1.* de generat. c. *5.* q. *1.* ar. *1.* & alios.)

XIII.

Sequitur vitalis, cujus beneficio hominis vita & per consequens reliquæ facultates omnes conservantur.

Vitalis facultas

Hic meritò quæritur cur à philosophis hæc omnino negligatur? Sed notandum, quod hi eandem à facultate vegetativa non distinguant; ubi enim vegetativa facultas, ibi necessariò quoque vita statuitur, unde philosophus vitam definit quod sit ἡ μονὴ τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς σὺν τῷ θερμῷ: *permansio animæ vegetativæ cum calore. A Medicis autem hæc facultas meritò à reliquis distinguitur, quia consideratur in corpore humano, ubi propter peculiarem vitæ modum quasi distincta videtur, quatenus in corde residet, quod hanc ob causam fons vitæ ac Spirituum calorisque officina rectè dicitur.* (Vide Laurent. Anatomicum, coniunge Fernelium & alios.

Cur Philosophi de hac non agant.

XIV.

Tandem animalis facultas superest, per quam Medici sensitivam, Motivam, atq; rationalem intelligunt.

Animalis facultas.

Huic meritò cerebrum attribuitur, quod à natura ita conditum atque conformatum est, ut operationibus harum facultatum præesse possit. Nec moveat

reat aliquem quod Medicus facultates rationales una cum reliquis comprehendat; hæ enim non aliter à Medico considerantur, quam quatenus secundum naturam conservari & præter naturam affectæ rursus restitui possunt, quod non accidit, nisi respectu potentiarum subordinatarum, sine quibus in hac vita naturaliter intellectio fieri nequit, unde meritò à Medico ad illas facultates subordinatas referuntur. Tantum de facultatibus animæ pro ratione nostri instituti publico Examini dextrè philosophantium subijcere voluimus.



Gregorii Horstii D.

EXERCITATIO

DE SOMNO ET SOMNIIS.

Publicè VVittebergæ Anno M. D C.VI. die 28. Novemb. proposita,

RESPONDENTE

Daniele Langio Culmbacensi.

DE SOMNO THESIS PRIMA:

SOmni, Somniorumq; doctrina nō ſolum jucunda ſed etiam utilis ac neceſſaria eſt, quam ob cauſam publica συζητήσεως digna iudicatur.

Vt alijs rerum naturalium doctrinis nihil detrahimus, ita præſentem ſomni ſomniorumq; σκέψιν ultimam eſſe minimè ſtatuimus. Quamvis enim nihil ſomno frequentius, utpote quo ſinguli ſingulis diebus afficimur, imò nihil quoq; confuſa cognitione ſomno, ſomnijsq; notius eſſe queat: nihilominus natura atq; eſſentia ſomni propter plurimas atq; involutas, iucundas tamen & utiles, quibus abundat controverſias, non ita cuilibet obvia, ſed doctis quoq; difficilis & reſpectu perfectioris ac magis diſtinctæ cognitionis abſtruſa videtur. Adde, quod ſomnus

gelidæ ſit mortis imago,

quo ſenſu Ariſtoteli μεθόριον τοῦ ζῆν καὶ μὴ ζῆν vitæ mortisque interſtitium dicitur; *quamobrem eo magis homini perpendendus ſubijcitur, utpote cum ſpeculatione mortis nulla nobis frequentior eſſe debeat, nulla ſalutarior eſſe poſſit.*

II.

Ut autem nullum accidens abſque ſubjecto ſuo intelligitur, ita ſomnus quoque non cognoſcitur, niſi primum ſciamus cui conveniat.

Cum enim accidentium essentia sit dependens, quatenus omne accidens beneficio sui subiecti consistit, ita ut Entis vox primò dicatur de substantia, δευτέρως verò & secundario de accidentibus: ideo planum & manifestum est ipsum accidens describi vel definiri minimè posse, nisi primum certi simus, cuius beneficio illud ipsum sustentetur. Quandoquidem verò & somnus in substantiarum numero non sit, sed rei per essentiam constitutæ superveniat: ideo cõsequens nunc est, ut videamus, cui nam primo conveniat, & quodnam eius verum sit subiectum.

Accidentia non cognoscuntur sine suis subiectis.

III.

Non verò omnibus rebus naturalibus accidit somnus, sed iis tantum, quibus ἡ δύναμις αἰσθητικὴ facultas sensitiva convenit.

Quia communißimum ac verißimum est pronunciatum Philosophicum cui habitus denegatur, eidem privationem attribui non posse, *præsertim cum privatio non sit mera negatio, sed absentia sui habitus in subiecto apto & adæquato. An verò somnus nihil aliud est quam operationis sensitivæ,* τῆς αἰσθήσεως *cessatio naturalis vel amica quies: quare non lapidi, plantis aut aliis rebus non sentientibus attribuendus est, sed solis animalibus convenit, quæ tum demum somno affici dicimus, quando naturaliter à sensuum operationibus quiescunt.*

Somni adæquatum subiectum est animal.

IV.

Ergo animalia somno afficiuntur respectu illius partis quæ τῆς αἰσθήσεως principium est.

Solis quidem & omnibus animalibus somnum conveni-

convenire pulcherrimè demonstratur ab Aristote-le, Plinio, Cœlio Rhodigino, Tatareto *& aliis: non tamen ex eo sequitur, quod totum quoque animal proximum somni subiectum sit, quod* Argenterio *placuit, quia non quærimus in præsentia num totũ animal vigilia vel somno, sive sensuum operatione vel eorundem quiete præditũ sit, sed illud in quæstione est, quænam sit illa pars in toto animali, quæ in somno primariò afficiatur, ita ut propter huius affectionem postea totum animal dormire dicamus. Hoc alii non potest attribui, quam illi, quæ sensuum operationibus primò præest: Cum enim operationis animalis cessatio non possit fieri respectu facultatis ipsius, utpote quæ non patitur aliquid nisi ratione organi (videret enim senex ut iuvenis, modo oculum iuvenis haberet. quod* Aristoteles *dicit:) Ideo sequitur organo quandam dispositionem accidere, cuius interventu* τῆς δυνάμεως *vel facultatis operatio impediatur & suspendatur. Quare somnus animali convenit respectu illius partis, quæ operationibus sensuum primario prospicit.*

Somnus animalibus accidit respectu illius partis, quæ principium sensus.

V.

Talis pars in animalis corpore est cerebrum, quod ut primum sensorium est, ita quoque proximum subjectum somni statuitur.

Vt quo ad primum sensorium inter se pugnant Aristoteles & Galenus, *ita quoque de subiecto somni non una & eadem utriusque est sententia: hinc ille* Cor *passim in somno primariò affici statuit, utpote quod alias motus sensusque principium ponit, &*

Somnum esse cerebri quandam affectionẽ.

à quo

*à qua reliquas operationes omnes deducit: hic è con-
trario cerebrum primum sensorium esse voluit, cum*
Avicenna *cæterisq;* Medicorum Principibus,
*quam ob rem somnum quoq; non cordis, sed cerebri
quandam affectionem statuit. His meritò subscribi-
mus thesi posita, præsertim cum videamus, quod or-
gana sensui & motui dicata suum à cerebro trahant
originem, quod nō solum* αὐτοψίᾳ *in artificiosa cor-
porū dissectione monstratur, qua nervorum exertum
non cordi sed cerebro tribuendum esse convincimur,
sed rationis quoq; discursu suadetur, utpote cum so-
porifera remedia non cordi, sed cerebro applicata so-
mnum producant. Adde illud* Argenterii *non tam
sensus motusq; quietem in somno adfuturam, quam
pulsus vitalis intermißionem, si primum somni subie-
ctum cor statueretur. Nec aliquid obtinet in præsen-
tia* Scaliger *dum* Galenum *diversum ab* Aristo-
Contra Scaligerū. tele *statuentem reprehendit, & in corde præter
principium* ζωτικὸν καὶ κινητικὸν *asserit quoque*
αἰσθητικὸν *ita ut cor tempore somni operetur qui-
dem respectu principij vitalis: quiescat verò respectu
principij sensitivi. Nihil, inquam, instantia hac
obtinet, propterea quod cor ad sentientis animæ*
Conciliatio Aristotelis & Galeni. *functiones obeundas non ita conformatum sit, quem-
admodum in cerebro apparet. Potius cum* Capi-
vaccio, *si placet, tantos viros conciliare conemur
dicendo, quod* Aristoteles, *dum statuit animali-
um functionum originem esse cor, principium facul-
tatis communißimæ respiciat, quo sensu* Averroes
quoque cor radicem somni, cerebrum vero primum
cius

citus instrumentum esse voluit. Galenus *vero ut alias ita hic quoq; proximum functionis instrumentum ponit, quod magis cerebro, quam cordi adscribendum.*

VI.

Accidit ergo somnus animali propter cerebri dispositionem peculiarem, & est nihil aliud quam naturalis operationis sensitivæ quies, unde Philosopho ἀκινησία καὶ δεσμὸς τῆς αἰσθήσεως *dicitur.* *Somnus quid.*

Nam quemadmodum vigilia est sensuum vigor & promtitudo ad operandum, ipsiusq; sensus incitatio, & motio, ita somnus est quasi carcer & immutabilitas, ut loquitur Fernelius, *quies videlicet & cessatio, qua sensuum, potissimumque externorum functiones quiescunt & intermittuntur. Non autem omnis sensuum intermissio in præsentia intelligitur, sed ea solum, quæ somnum naturalem constituit, & animali secundum naturam convenit, ut somnus naturalis, ab eo, qui præter naturam accidit, Medicorumq; considerationi subijcitur, eo magis distinguatur. Quod evidentius apparebit, ubi declaratum fuerit, unde & cuius finis gratia somnus naturalis animalibus singulis diebus accidat.*

VII.

Causa efficiens huius naturalis quietis

τῆς αἰσθήσεως proxima est calidi nativi revocatio ab organis sensuum ad interiora, suumque principium.

Quemadmodum enim absq; sua causa nihil fieri potest, ita quoque impossibile est, ut rem per causam existentem absq; causæ cognitione intelligamus, unde commune Philosophorum pronuntiatum, quod cognitio atque scientia nostra per causam fiat. *Quod cum ita sit merito quoque somni subiecto menstrato ad causæ efficientis inquisitionem pergimus, ut certi fiamus, qui fiat, quod naturaliter interdum cerebrum in animalibus ita afficiatur, ut sensuum operatio quiescat.*

Causa somni proxima inquiritur.

Hic alij Aristolem, Albertum *& alios sequuntur, & somni causam evaporationem ex alimēto statuunt, propterea, quod videant alimenta quædam ob suavem exhalationem ad cerebrum transmissam somnifera esse, multos ad inediam insomnes noctes ducere, pueros ob continuam hanc exhalationem perpetuo dormire, frequentesq; ac longiores somnos ob evaporationem copiosam cerebri mala frigida producere. Diversum* Galenus *statuere videtur dum caloris motum, qui foras tendit vigiliam, qu[...] verò ad interiora somnum producere dicit; cui sub[...] scribit* Averroes & Cōciliator, *quibus somnus e[...] caloris conventus intrinsecus: item* Avicenna, *qu[...] somnum, effectivè definiens, reditum spiritus anima[...] lis ad cerebrum cum profundatione spiritus vitalis a[...] cor affirmat. Inter recentiores ad hanc sententia[...] plurimi inclinant, in quorum numero sunt* Argente[...] rius, Vallesius, Capivaccius, Forestus, Paræ[...]

us

us & alij, quibus omnibus caloris & spiritus revocatio ad interiora somni causa immediata dicitur, quã tamen iuvari, foveriq; statuunt per evaporationem alimenti. Hinc alij duas has opiniones coniungunt, ut sunt Doctores Connimbricenses, & Fracastorius, qui somnum & evaporatione alimenti, & revocatione caloris fieri concedunt. Verum enim vero cum unus idemque effectus æqualiter à duabus causis non dependeat, ideo consequens est, ut adhibeatur distinctio inter causam proximam & remotam. Proximam somni causam dicimus esse revocationem caloris ad suum principium: ut enim vigilia somno opponitur: ita quoq; causa somni opponitur causæ vigiliarum: at vigiliæ fiunt, quando calor movetur ad sensoria, ergo somnus accidit, quando calor ab organis sensuum ad suum principium revocatur.

Revocatio caloris ad suum principium proxima somni causa.

VIII.

Hanc proximam somni causam antecedunt aliæ remotiores, inter quas communissima ac præcipua est evaporatio ex alimento.

Fit enim somnus communiter in constitutione naturali, quando exhalationes à coctione alimẽtorum sursum ascendunt, & in cerebro quandam meatuũ obturationem efficiunt, ita ut spiritus & calor propter denegatum transitum ad interiora sese recipiant. Hoc eleganter Tataretus describit, dum somnum naturalem fieri dicit, quando per calorem originaliter à corde provenientem, & ad membra nutritionis expansum nutrimentum concoquitur, propter cuius concoctionem resolvuntur ab ipso nutri-

Causa somni remota maximè communis.

mento vapores & fumi propter caliditatem & subtilitatem ascendentes ad caput, in quo ratione frigiditatis incrassantur, & ita obstructionis meatuum causa sunt. Præter hanc causam communissimam inter remotiores dantur quoque aliæ plurimæ, quibus somnus iuvatur, ut sunt, Musica, tenebræ, silentium, vigiliæ, labor, Venus, pedum titillatio *vel frictio, aliaq; huius generis, quæ omnia suo modo ad caloris revocationem faciunt, ita ut organa sensuum influxu eiusdem destituatur. Ita* Musica *somnum allicit, quatenus calidum ob suavem hormoniam ad auditus organum ἀϑρόως & confertim ruit, ubi magis collectum, id quod humidum est, resolvit, alijsq; sensuum organis subtractum alicuius obturationis in meatibus causa est, propter quam calor circa principium suum magis colligitur.* Tenebræ & silentium *inserviunt, quatenus in ijs propter obiectorum absentiam calor ad organa sensuum non evocatur: noctis enim obscura opacitate, inquit Paræus, calor, Spiritusq; in centrum corporis coguntur & coercentur.* Vigiliis, laboribus & Venere *calorem absumi ac debilitari nullus est, qui negat, ideoque post harum rerum excessum deficientem calorem ad suum principium recurrere, & organa sensuum relinquere verisimile est. Fit enim tunc somnus ut utar Poetæ verbis,*

Aliæ causæ remotiores ipsius somni.

Quomodo Musica somnum alliciat?

Quomodo tenebræ & silentium ad somnum faciant?

Vigiliæ, labor & venus quomodo inserviant?

—— ubi est distracta per artus
Vis animæ: partimq; foras ejecta recessit
Et partim contusa magis concessit in altũ.

Tandem frictionem pedum *inducere somnum statuimus.*

statuimus, idq; propterea, quod peculiari pedum, cerebriq; consensu posito calor facilimè ad partes frictione tentatas revocari poßit, ut contra Alexandrum *concludit* Argenterius. *Omnes igitur causæ remotiores tandem suo modo conveniunt in proxima, nimirum in revocatione caloris ad partes internas, ex quo tale corollarium subijcere licet :* Concoctionem tempore somni meliorem esse, quam in vigilia, *quam ob causam* Galenus *breviorem somnum frustratæ concoctionis causam statuit, cibosq; concoctu difficiles in cœna exhibere iubet.* Et Hippocrates *copiosiora alimenta tempore hyemis & veris exhibet, propterea, quod tunc somni sint longißimi. Huic assertioni contradicit* Jobertus, *cuius paradoxon in Exercitationibus nostris* περὶ τῆς ψυχῆς *examinavimus. Iam sequitur ut videamus cuius gratia somnus animalibus sit concessus.*

Frictio pedum quomodo somnũ gignat?

Tempore somni melior concoctio.

IX.

Somni causa finalis est virium restauratio pro salute & conservatione animalium.

Quia non frustra tantum temporis spacium somno fallere cogimur, cum somnus, ut inquit Tertullianus, *sit recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicusq; laborum. Hinc eleganter Poeta canit :*

Somne quis rerum, placidiſsimè ſonmne
Deorum,) (duris
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora
Feſſa miniſteriis mulces, reparasq; labori.

Finis ſomni. *Conſiſtit igitur finis ſomni in ſalute & conſervatione animalium, ut habet* Cælius Rhodiginus, *quā propter adiumentum concoctionis, ſpirituumq; reparationem fieri rectiſsimè aſſerit* Conciliator. *Vnde rectè concludit* Paræus *his verbis: initus opportunè ſomnus concoctionem viſcerum magnopere iuvat, quod per ſomnum ad illa retrogradus cum ſpiritibus feratur calor, concoctionis omnis opifex: nec verò ſomnus fractis tantùm laſsitudine membris ſolatium adfert, ſed & lenit curas & corda oblita dolorum. In quem ſenſum* Salius *quoq; dicit irrepſiſſe ſomnū, ut per eum vires & deperditi ſpiritus regenerarentur. Quamvis autem* Argenterius *in eo laboret, ut non ſomnum, ſed ſomni cauſam in ſalutē animantiū conditā eſſe ſtatuat: fruſtraneum tamen hoc ipſius intentum eſt, propterea, quod effectus à cauſa per ſe productus fruſtra eſſe nequeat.* *Definitio ſomni perfecta.* *His ita præmiſsis patet eſſentia ſomni, quam tali definitione in tractatu noſtro de anima propoſuimus:* Somnus eſt quies naturalis operationum animæ ſenſitivæ, facta per revocationem caloris nativi ad interiora, ut ſalus animalium, virium reſtauratione, conſervetur.

X.

Somnus duplex. Porrò Somnus naturalis duplex eſt, perfectus & imperfectus: in illo omnes ſenſus ligantur: at in hoc quorundam ſenſuum operationes quodammodo conſpiciuntur.

Etſi

Etsi enim hactenus demonstravimus, quod somnus sit vinculum & quies operationum sensitivarum: rarius tamen illa privatio totalis & omnimoda sensus omnis cessatio est, quod Galenus *pulchrè demonstrat, cum ipse somnus non semper quies sensuum perfecta, sed solum vigoris intermißio quædam esse videatur. Cum autem negari non poßit, quod sæpius quibusdam hominibus tam gravis sopor accidat, ut per obiecta sensibiliū externorum vix arte quadā excitari queant, internis quoq; sensibus visa vel somnia nulla percipiant: idcirco vinculum sensuum in somno non semper eodem modo sese habere statuimus: nam* multo sopor ille gravissimus extat.

Quem satur aut lassus capias, ———
—— quia corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat una
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Non autem propterea totalis eiusmodi sensuum ἀκινησία *dicitur perfectior, quod somno incompleto melior, & animalibus convenientior sit., præsertim cum plerunq; propter causam antecedentem copia & multitudine peccantem fiat, qua non solum suaviter cerebrum non humectatur, sed stupidum penitus & ad operationes quasdam exerendas ineptum redditur: verùm potius in respectu privationis, quæ hic multo maior, quam in somno imperfecto, qui naturaliter quotidiè nobis accidit.*

XI.

Huius imperfecti somni ratione qui-

Dormientes interdum vigilantium opera peragunt.

busdam accidit, ut non ſolum dormiendo vocantes audiant, loquantur, moveantur in lectis, variis ſomniis vexentur, ſed etiam interdum dormiendo ſurgant, ambulent, vigilantiumq́; opera peragant.

Nam præter quotidianam experientiam tot Claßicorum autorum affirmant quosdam homines dormiendo obambulare & vigilantium opera peragere, ut nomina illorum apponere videatur hominis otio literario abutentis. Hos communiter νυχοβάτας noctambulones vocant, forte non incommodè ὑπνοβάται ſive ſomnambulantes dici poſſunt, qui dormientes vi imaginationis inſtigati ſurgunt, ambulant, & vigilantium opera peragunt. Cauſa huius affectionis in ſomnambulonibus eſt Imaginatio per ſomnum non quieſcens, quæ propter bonum quoddam hominem ad ambulandum invitat. Iuvat phãtaſiam corporis diſpoſitio, præ reliquis cholerica, quæ corpus agile & ad obeundas actiones quasvis promptum, animusq́; audax ac temerarius interdum reddi-tur. Hinc accidit ut noctambulones ſæpißimè dormiendo periculoſißima loca petant, plurimaq́; intrepidè audeant, præſertim cum diſcernendi vis adhuc in ipſis ſopita ſit, incogitantia audaciam præbeat, eandemq́; ſpirituum conſtantia maximè iuvet, quod rectè Langius & Libavius *demonſtrant. Vt enim phrenetici maximo corporis robore videntur eſſe præditi in apprehendendo, aliisq́; peragendis hanc ob cauſam, quod rationis operatione deſtituti, hoc unicum ſibi ſola imaginatione peragendum eſſe cenſeant,*

Cauſa ſomnambulonum.

Cur noctãbulones periculoſa loca petãt?

quod

quod pulchrè Mercurialis *præ alijs demonstrat: ita qui dormientes ambulant periculi magnitudinē non perpendentes, omnia incogitanter & firmiter aggrediuntur, ob spiritus phantasiæ intentioni obedientes. Nulla igitur admiratione dignum, quod eiusmodi homines dormiendo ambulantes proprio nomine vocati cadant, quia tunc à somno excitantur, & excitati periculi magnitudinem deprehendunt, unde timere incipiant, quam ob causam spiritus & calor, quod aliàs in timore fieri solet, ad principium suum recurrunt, & ita membris extremis apprehensioni atq; incessui dicatis non amplius inserviunt. Hinc enim ex consternatione ac perturbatione spiritus dißipantur, ut inquit* Lemnius, *quibus dißipatis atq; discußis facultas debilitatur. Patet ex his motum noctanbulonum potius* καθ᾽ ὁρμὴν *& secundum phantasiæ impetum fieri, quam* κατὰ προαίρεσιν *& ad rationis arbitrium, unde* Laurentius *phantasiam, quæ causa est, huius affectionis, brutorum phantasiæ similimam esse dicit.*

Cur noctambulones proprio nomine vocati pericli-tentur?

Motus noctambulonum est voluntarius.

XII.

Consequenter de somniis agendum, quæ sunt φαντάσματα ex operatione phantasiæ vel imaginationis in somno non penitus quiescentis apparentia.

Somnia quid.

Fiunt igitur somnia non in profundißimo somno, in quo nullius sensus operatio partialis vel totalis

conspici

conſpici poteſt, ſed in remißiori, quem imperfectum diximus, in quo phantaſia quodammodo operatur iā vera, mox ominno falſa effingens ex ÿs, quæ antea in ſenſibus fuerunt. Vt enim aliàs nihil eſt in phantaſia quod non fuerit aliquo modo in ſenſibus exterioribus, ita quoq; nullum viſum in ſomno naturaliter apparere poteſt, quod non vel ſecundum totum, vel ſecundum partem, vel ſecundum oppoſitionem vel alia quadam ratione à ſenſibus antea cognitum fuerit.

XIII.

Differentia ſomniorum

Incitatur autem phantaſia in dormientibus vel naturaliter vel præter naturæ curſum, ſupranaturaliter, unde ſomnia alia naturalia, alia ὑπερφυσικά.

Non quidem ignoramus ſomniorum diſtinctionem apud autores multiplicem inveniri: non tamen videmus, cur non omnia ſomnia ſub hac bipartita diviſione ſomniorum Hippocratica contineri poßint, præſertim cum omnia ſomnia cauſas ſuas aut in natura, aut extra eandem habere debeant. Interim nō negamus, quod utrumq; ſomniorum genus vicißim ſuas admittat ſubdiviſiones, pro ut cauſæ tam naturales, quam ſupranaturales non ſunt eædem, quemadmodum conſequenter demonſtrabimus.

XIV.

Naturaliter ſomnia fiunt vel ex cogitatione rerum, quibus occupati fuimus vel ex conſtitutione corporis diverſa, quam animi mores alias ſequuntur.

Somnia naturalia.

Quod propter ſpecies ex operatione ſenſuum relictas plerumq; ſomnia accidant, quotidiana teſta-

tur

tur experientia: nam ubi rebus quodammodo intenti ſumus, tunc, ut Claudiani *verbis utar,*

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

Hinc etiam quod habet Lucretius,

In ſomnis eadem plerique videmur obire
Cauſidici cauſas agere & componere leges,
Jnduperatores pugnare & prælia obire,
Naturæ contractum cum ventis degere bellum,
Et quo quiſque ferè ſtudio defunctus adhæret
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati.

Idem de amoris incendio per ſomnum recurrente Sappho *apud* Ovidium *affirmat: inquiens*

Tu mihi cura Phaon, te ſomnia noſtra reducunt
Somnia formoſo candidiora die.
Sæpe tuos noſtra cervice onerare lacertos
Sæpe tuæ videor ſuppoſuiſſe meos.

Talia ſomnia quibusdam animalia vocantur, & diſtinguuntur à naturalibus in ſpecie ſic dictis, quæ corporis conſtitutionem ſequuntur, & vel à ſtatu corporis ſano vel morboſo dependent. Ita cholerici flava bile abundantes, irarum furorisq; plena vident ſomnia: contra ſanguinei iucundis vexantur imaginationibus: melancholicis omnia triſtia ac terribilia in ſomnis apparent; at pituotoſi pluvias nebu-

lasq; sæpius observant. In statu corporis morboso diversa somnia apparent, pro ut corpus diversimodè affectum varias phantasiæ species exhibet. Ita laborantes defluxionibus pituitosis esum lactis vel mellis, ob similitudinem defluentis pituitæ ad fauces & Oesophagum, interdum sibi imaginantur in somno.

Sic apud Galenum *quidam alterum crus per somnium sibi lapideum factum cernens præter omnē opinionem eo crure factus est paralyticus, & alter, qui in sanguinis cisterna plena sibi stare videbatur, sanguinis evacuatione ob plenitudinem egebat. Hinc etiam fit, ut interdum humorum multitudine gravati onera gestare vel incubum pati videamur, ubi quemadmodum Poeta dicit*

—— in mediis conatibus ægri
Succidimus, nec lingua valet, nec corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.

XV.

Somnia præternaturalia.

Præternaturaliter somnia immittuntur vel à DEO, vel ab angelis bonis aut malis.

Quamvis non negandum, quod eo modo, quo vigilantes de rebus præteritis & futuris nobis plurima diversis modis imaginamur, in somnis quoq; variarū rerum species & admiranda phantasmata nobis occurrere possint: hoc tamen concedendum, quod interdum somnia quædam hominibus quibusdam accidāt, quæ ad manifestas causas reduci nequeunt. Hoc intelligentes olim Epicurei *statuebant, quod refert* Lucretius,

rerum

—— rerum effigies tenuesq; figuras
Mittier à rebus somno de cortice earum,
Quæ quasi membranæ, vel cortex nominitanda est,
Quod speciem ac formam similem gerit eius imago,
Cujuscunq; cluet de corpore fusa vagari.

Ab hac Epicureorum *opinione non admodũ abludit* Rhodiginus, *qui motiones quasdam concedit, quæ nos simulachrorum vice exerceant, quas ex initiis quibusdam earum rerum prodire vult, quæ mox dicendæ, agendævè sint &c. Veruntamen cum rerum non existentium, penitusq; ignotarum nulla simulachra vel motiones naturaliter nobis accidere poßint, quod alibi copiosius demonstravimus: Ideo dicimus eiusmodi somnia ex naturalibus causis non dependentia respectu externi atq; altioris principij fieri, unde vel à* DEO *aut angelis bonis piis hominibus immittuntur, vel etiam à Diabolo ducunt originem, qui in filiis incredulitatis potens est. Verum cum hæc limites* τῆς σκέψεως φυσικῆς *transcendant, ideo falcem in alienam meßem immittere nolumus, ne quis nobis illud obijciat:* En sutor ultra crepidam!

Tantum pro tempore de somno somniorumq; natura proponere voluimus.

DEO GLORIA.

M E F. –

Lepl. 9/III 05